D. yhoalle 1821

DE

ἈΥΘΕΝΤΙΑ

EPISTOLAE JUDAE

COMMENTATIO CRITICA,

AUCTORE


ADAMO JESSIEN,

apud Schoenbergenses in Holsatia Diacono.

LIPSIAE

SUMTIBUS JO. AMBROS. BARTHII.

1821.


THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARIES
CHICAGO, ILL.

PRAEFATIO.

Etsi mihi quidem, hunc de αὐθεντίᾳ epistolae Judae perscriptum libellum edituro virorumque judicio doctissimorum propósituro, haud semel in mentem venit, mutato eum consilio, retinere atque retrahere; quippe qui partes mihi sumsi, in quibus tot tantique viri eruditissimi exercuerant vires, ut novi quid in

medium afferre me posse vix sperarem: tamen et amicorum quorundam consilio atque auctoritate confirmatus, et vero, quo rem amplexus eram, amore adductus, in publicum procedere ausus sum, spe, quam confiteri non piget, firmissima, fore ut viri lecturi, non minus humanissimi quam justissimi, veniam mihi concederent, si quid in singulis disponendis examinandisque minus recte nimisve festinanter judicassem.

De hujusmodi vero commentationis momento et gravitate vix est, quod moneamus, cum nemo non intelligat, perparvum scriptis N. T. fore pretium, nisi ab auctoribus, quibus tribuuntur, vere profecta esse demonstrari possint. Accedit in hac nostra epistola, quod vel ab antiquissimis inde temporibus de ge-

nuina ejus origine inter viros doctos litigatum est. Eximium praeterea momentum tali de ep. Judae commentationi oriri videtur e singulari, quae ei intercedit cum Petri ep. secunda similitudine. Quae quidem ejusmodi est, ut judicium, quod quis de altera epistola tulerit, in dijudicanda alterius αὐθεντίᾳ quam maximam vim habere debeat. Jam vero rem ad finem usque perductam et omnibus partibus absolutam esse, nemo facile contendet. Contra ea restare permulta, quae lucem adhuc desiderent, vel inde apparet, quod sententiae, ab viris auctoritate gaudentibus, de ep. Judae et Petri secunda propositae ad nostram usque aetatem mirum in modum a se invicem discedunt; cum alii utramque, alii nonnisi alterutram genuinam, alii autem spuriam cen-

seant utramque. Etsi vero me litem compositurum quam minime spero; tamen et vires tentasse juvabit.

Scripsi Schoenbergae Holsatorum
Cal. Sext. A. D. MDCCCXX.

Rerum autem in hac commentatiuncula tractatarum ordo et distributio haec est:

CAPITE PRIMO agitur de Judae persona,

1) *et primo quidem loco inquiritur, qualem se ipsum descripsérit Judas;*

2) *secundo autem: quinam illorum, qui in N. T. Judae nomine utuntur, fuerit noster.*

CAPITE SECUNDO recensentur argumenta, quae vocant, interna, contra genuinam ep. originem in medium prolata; et ea repetita:

1) *primum ex ep. argumento per se spectato,*

A) *cum historico:*

a) *quod certa temporis, loci et hominum indicia plane desint;*

b) *quod maturioris aevi vestigia in ea inveniantur;*

c) *quod auctor se Christi consobrinum et discipulum non significaverit;*

B) *tum dogmatico; quo referuntur loci: v. 9.; 14. et 15.; atque v. 23.;*

2) *deinde ex ep. argumento cum litteris Petrinis comparato.*

CAPITE TERTIO proponuntur argumenta interna, ep. αὐθεντίαν confirmantia;

1) *partim negativa, quo pertinet:*

A) *quod argumenta contra eam prolata vi probandi destituta sint;*

B) *quod conjecturae de non genuina ep. origine, hucusque in publicum editae, certis rationibus careant; quod probatur de Grotii, Boltenii, Bergeri et Dahlii conjectura;*

C) *quod ejusmodi fraudis ratio atque consilium in ep. Judae plane non inveniatur;*

2) *partim positiva, quibus accensendum:*

A) *quod sensus et doctrina scriptoris in Judam nostrum optime quadrent;*

B) *quod auctor cognitionem Dei, virtutis vitaeque futurae puram et vere Christianam prodat;*

C) *quod litterae scriptorem declarent ab omni fraude alienum.*

CAPITE QUARTO de miro ep. Judae et Petri secundae consensu disseritur, atque hujus auctorem litteras Judae in auxilium vocasse, singulis utrarumque locis accurate inter se comparatis, demonstratur.

CAPITE QUINTO veterum testimoniorum ad Judae ep. spectantium brevis recensio exhibetur.

CAPUT PRIMUM,

in quo agitur de Judae persona.

Vocabulo αὐθεντία nullam aliam subjicimus notionem, nisi *veram scripti cujusdam et genuinam ab eo auctore, cui ipsum vult tribui, originem.* Quodsi autem, re eo modo definita, nobis propositum est, investigare: utrum epistola illa Judae vocata ad hujus nominis virum jure meritoque auctorem referatur necne: ante eam quaestionem, quis tandem virorum, qui unquam apud veteres Judae nomine usi sunt, permultorum velit esse noster epistolam sibi vindicans Judas, exposuisse necesse erit. Quae res, per se minime plana atque perspicua, omnino digna est, quae diligentius pertractetur, quia viri docti de ea judicantes quam maxime inter se dissentiunt. Videlicet nonnulli eorum epistolae auctorem *apostoli* partes agere voluisse contenderunt; quod contra alii negarunt, atque inter hos plurimi nostrum et egisse et fuisse *virum apostolicum* censuerunt; unus autem Grotius in eam secessit sententiam, illum voluisse neque apostolum simulare, neque virum tempore apostolorum aetati proximo viventem; sed alius personam non induisse, nisi quam

revera gessisset, nempe *Judae cujusdam, Hierosolymitanorum episcopi*, Hadriano regnante florentis. Cum res ita se habeat, nobis, eam accuratius perspicere cupientibus, primum ad ipsam epistolam refugiendum est, ut intelligamus, quem et qualem se ipse descripserit Judas; deinde autem ad viros in N. T. obvios, qui Judae nomen tulerunt, recurrendum, ut comperiamus, quae ex epistola elici possint.

1) Hic vero nostrum versu primo de se ipso ita loquentem animadvertimus: *Ἰȣ́δας, Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ δȣ̃λος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβȣ.* Primum igitur haud negligendum est, Judam *ministrum* quidem seu *cultorem* Jesu Christi se vocare, non autem expressis verbis sibi tribuere dignitatem apostolicam. At, inquiunt viri docti, vocabulum *δȣ̃λος* est appellatio honorifica, quae cuilibet religionis Christianae doctori, ac praecipue apostolis tribui solet, unde haud raro cum voce *ἀπόςολος* permutatur et pro ea ponitur, ut idem sit ac si apostolum se vocavisset Judas. Quod ut evincant, provocant ad verba Pauli in ep. ad Rom. I, 1. obvia: *Παῦλος, δȣ̃λος Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, κλητὸς ἀπόςολος*; in quibus Paulum et ministrum Jesu Christi se appellare et apostolum, omnino negari nequit. Attamen ex his ipsis patet, nomina *δȣ̃λος* et *ἀπόςολος* plane non esse *συνώνυμα*: quod enim si essent, equidem profecto non video, cur apostolus rem eandem diversis descripserit verbis. Id certe constat, hoc loco synonymiam vocabulorum illorum probari non posse. — Afferunt porro locum Gal. II, 10. coll. cum v. 1. Sed hic tenendum est, Paulum versu primo agere de dignitate sua apostolica, eaque non ab hominibus, sed a Deo et Jesu Christo sibi delata; versu 10. autem

negare eundem, fore se *δȣλον Χριςȣ̃*, si hominum magis quam Dei gratiam affectans reperiatur. Itaque ex orationis contextu intelligitur, vocem *δȣ̃λόν* significare hic *verum Jesu cultorem*, sive hominem, verbis non minus quam factis omnique agendi ratione sincerum Christi discipulum se exhibentem. — Neque plus alio loco, quem in ep. ad Philipp. I, 1. legimus, efficitur. Ibi enim invenimus: *Παῦλος καὶ Τιμόθεος, δȣ̃λοι Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃.* Quis credet, Paulum eodem jure hîc scribere potuisse: *Παῦλος καὶ Τιμόθεος, ἀπόςολοι Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃?* Mihi quidem persuasissimum est, Paulum, qui dignitati suae apostolicae summam gravitatem concedebat, hoc loco ex industria se et Timotheum significasse communi nomine *δȣ́λων Χριςȣ̃*, eodemque latius patente, quam vocabulum *ἀπόςολος*, quod uno eodemque sensu minime de utroque valebat. — Afferunt porro, qui nomen *ἀπόςολος* cum voce *δȣ̃λος* permutari contendunt, ep. ad Tit. I, 1. ubi legitur: *Παῦλος, δȣ̃λος θεȣ̃, ἀπόςολος δὲ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃.* Sed jam inde, quod vox *δȣ̃λος* nomini *ἀπόςολος* opponitur, mihi quidem sequi videtur, nominibus illis non plane idem exprimi. Praeterea Paulus *δȣ̃λον* quidem et *θεȣ̃* et *Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃*, neque minus *ἀπόςολον διά θεȣ̃* [1], nusquam autem *ἀπόςολον θεȣ̃* se vocavit, sed tantum Jesu Christi, qui ipsum proprio sensu *miserat.* — Provocant denique, ut nominum *δȣ̃λος* et *ἀπόςολος* synonymiam probent, ad verba, quae in ep. Jacobi I, 1. leguntur: *Ἰάκωβος θεȣ̃ καὶ κυρίȣ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ δȣ̃λος.* Etiamsi vero sumamus, *apostolum* Jacobum epistolam scripsisse: ex his tamen non sequitur, vocabula

---

[1] Gal. I, 1.

illa idem valere. Primum enim usus loquendi, inter primorum temporum Christianos consuetus, ut diximus, non permittebat, ut Dei et Jesu Christi apostolum se nominaret uno eodemque sensu, cum tamen utriusque ministrum optimo jure se posset appellare. Tum quoque pro certo sumere poterat, se legentibus epistolam satis cognitum fore, licet apostoli titulum non addidisset. Eo denique accedit, quod Jacobus, cum summa auctoritate gauderet, non dignitatis suae contra adversarios tuendae causa, sicut Paulus, ad munus suum apostolicum confugere coactus est. — Quibus omnibus ita expositis negari quidem non potest, vocem *δȣλος Χϱιςȣ* esse titulum honoris, praesertim ab apostolis sibi ipsis datum; attamen illam simpliciter pro voce *ἀπόςολος* poni, aut unice de apostolis adhiberi, profecto probari nequit, sed vel Timothei exemplo in ep. ad Philippenses satis refellitur.

Quodsi igitur Judas se *Ἰηςȣ Χϱιςȣ δȣλον* vocavit: hac re, per se spectata, eum fuisse apostolum neque evinci potest, neque refutari; id vero constat, illum nullo modo per hanc vocem se ipsum describere *voluisse* apostolum, etiamsi revera fuerit apostolus, quia, ut vidimus, haec vis atque notio vocabulo *δȣλος* omnino non inest.

Quaeritur igitur, quam ob rem Judas, si fuit duodecim apostolorum unus, se non talem, qualis erat, exhibuerit, sed *δȣλον* tantum *Χϱιςȣ* nominaverit. Respondebit fortasse aliquis: eum id fecisse iisdem adductum rationibus, propter quas Jacobum supra vidimus se simili modo gessisse. Cui quidem ita ratiocinanti lubenter concedo, forsitan Judae non magis, quam Jacobo, opus fuisse defensione auctoritatis apostolicae adversus inimi-

cos. Quid autem? anne aliam rationem, quae de Jacobo valet, eum scilicet lectoribus apostolum satis cognitum fuisse, apud Judam quoque statuere licet? Qui quidem si Christianis, ad quos litteras dabat, dignitatem suam apostolicam satis notam fuisse putasset atque perspectam: quam, quaeso, ob causam addidit verba illa: *ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβε?* Sed, fateor, antequam ex his argumentari licebit, statim in exordio res mihi erit cum Grotio, viro inter paucos celeberrimo. Cui quidem: „verba *ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβε* addita esse a scribis, ut Judas hic apostolus crederetur," nos docenti ([2]) si hoc concedendum fuerit: jam cuicunque, de genuina hujus epistolae origine commentanti, non amplius quaerendum erit: utrum vere sit profecta epistola a Juda, sive apostolo sive viro apostolico; sed multo magis: utrum Judae episcopo illi, scriptorem se profitenti, jure adscribatur necne? Verum enim vero si quaesiveris, quibusnam vir ille magnus usus sit argumentis, ut hanc inscriptionis partem spuriam esse ostenderet atque suppositiciam: profecto invenies nulla, nisi forte totam ejus de epistola sententiam pro argumento acceperis; quae quidem quam incerta sit omnique destituta veritate, deinceps apparebit. Neque argumentum a Wassenberghio adhibitum, cur haec verba pro Glossemate habenda sint, mihi argumentum videtur. Quae enim dixit: „Non solere scriptores sacros tantam adhibere diligentiam, ut notos se reddant Fidelibus," per se quidem recte se habent; neque tamen tantum valent, ut unam eam ob causam verba e textu

([2]) Annott. in ep. Jud. ad vers. 1. ed. Chr. Ern. de Windheim. T. II. pars II. p. 1117.

ejiciamus; cum praesertim quod mox videbimus, Judas, epistolae scriptor, talem sui descriptionem magno consilio addere potuerit. Verba autem: ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου sine justa causa a Grotio rejecta esse, jam Eichhornius luculenter docuit (³), neque dubitari potest, si cogitare velis, non solum ea in omnibus codicibus Mss. et antiquis versionibus nobis exhiberi, sed etiam vestigia, quae, unquam illa abfuisse, atque Judae, episcopi Hierosolymitani, nomen in fronte epistolae nostrae positum fuisse prodant, ne levissima quidem in veterrimis has litteras spectantibus testimoniis inveniri. Quid? quod apud Clementem Alex. (⁴) de epistolae titulo ita legimus: „Judas, qui catholicam scripsit epistolam, frater filiorum Joseph, exstans valde religiosus, cum sciret propinquitatem domini, non tamen dixit, se ipsum fratrem ejus esse; sed quid dixit? Judas, servus Jesu Christi, utpote domini, *frater autem Jacobi.*" — Ex his si aliud nihil sequitur, id certe nullam habet dubitationem, Clementis temporibus, i. e. circa annum 180. post Chr., eam, quam adhuc legimus, epistolae inscriptionem jamjam pro genuina esse habitam; aliter enim Clemens de ea non ita egisset, ut, rem a nemine in dubium vocatam esse, facile appareat. Quae cum ita se habeant, cumque litterae, secundum Grotium, datae sint ab illo Juda et nomine illius Judae, qui, auctore Eusebio (⁵), episcopatum Hierosolymitanum usque ad supremam rerum Judaicarum per Hadrianum eversionem, i. e. circa an-

(³) Einleitung in das N. T. Bd. 3. p. 648.

(⁴) Adumbratt. in ep. Jud. Opp. T. II. p. 1007. ed. Oxon.

(⁵) H. E. IV, c. 5.

num. 135. post Chr., tenebat: Grotius statuerit necesse est, temporis spatio vix quinquaginta annos (inde ab anno 135. ad annum usque 180. post Chr.) amplectente, verba illa non modo in singula harum litterarum exemplaria irrepsisse, sed etiam brevi illo tempore tam communi Christianorum consensu pro genuinis accepta fuisse atque in tot epistolae apographa transscripta, ut suspectae eorum recentiorisque originis vestigia paene nulla ad Clementis aetatem pervenerint. Quod quomodo fieri potuerit, praesertim cum episcopus Judas, ipso non negante Grotio, plane nihil fecisset, ut scripto suo auctoritatem apostolicam adrogaret, equidem profecto haud perspicio. Re ita exposita non est, quod dubitemus, quin verba: ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου ab ipso auctore inscripta sint epistolae.

Voluit igitur scriptor Jacobi cujusdam frater haberi. Quaeritur nunc, quam ob causam hujusmodi descriptionem sui, in epistolae titulo satis insolitam, et hac re diligentius a nobis considerandam, addiderit? Hic viri doctissimi, Eichhornius et Dahlius respondent: eum fratris nomine usum esse, ut lectorum et gratiam sibi compararet et faciles aures. Quod non sine justa causa ita statuentes, eo ducimur, ut Jacobum illum magna, Judam autem minore seu potius nulla, apud lectores gavisum fuisse auctoritate credamus, quia, si res aliter se habuisset, commendatione, a fratris nomine deducta, non indiguisset. Quod si concedendum est, equidem, nostrum apostoli nomen et dignitatem prae se ferre in animo habuisse, quam maxime dubito. Etenim hoc si voluisset, eum aut, fratris nomine plane omisso, auctoritatis nanciscendae causa ad

suum ipsius munus apostolicum provocasse, aut certe, auctoritatis augendae causa, — videlicet ut duplicem haberet commendationem, — non minus ἀπόςολον Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, quam ἀδελφὸν Ἰακώβȣ se declarasse, non possum quin pro vero certoque ponam. Quod vero cum non fecerit, eum neque fuisse, neque esse voluisse apostolum, recte concluditur.

Idem patebit, si aliam secutus fueris, priori similem neque minus probabilem, sententiam: nostrum, prouti lectoribus minus cognitum, fratris celebrioris nomine usum fuisse, ut se ipsum ab aliis, quibuscum Judae nomen commune erat, bene distingueret. At cum plures facile Jacobi eodem viverent tempore, cumque post cruentam Judae Iscariotae mortem unus tantum apostolus, qui Judas vocabatur, superesset: quomodo, quaeso, melius Judam apostolum ab hominibus aliis eodem nomine utentibus, distinguendum, modo is revera esset, se potuisset significare, nisi eo, quod apostoli titulum fine ambagibus sibi tribuisset. Quod autem quia noster, licet secundum hanc sententiam lectoribus non satis familiaris, tamen non fecit: quis est, quin intelligat, nobis quoque justam, quare litterarum auctorem pro apostolo habeamus, causam deesse.

Tandem superest, ut tertium statuas, Judam utramque ob causam, jamjam expositam, se fratrem Jacobi esse expressis verbis commemorasse. Quod mihi quidem ad verum proxime accedere videtur. Nisi enim verba: ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβȣ, plane superflua esse et sine omni consilio putare velis apposita: profecto aliud nihil restat, nisi credere, nostrum, antequam hanc scriberet epistolam, nullum fere cum lectoribus habuisse com-

mercium et iis hucusque non innotuisse. Quodsi autem res ita se habeat, personae suae non descriptione solum, sed etiam commendatione opus fuit. Utrumque verbis: ἀδελφὸς Ἰακώβου, optime impetravit, si modo eum apostoli partes agere noluisse accipimus. Sin vero aliter statuitur, se lectoribus, ut vidimus, neque commode significavit *apostolum* Judam, neque satis commendavit. — Quare ex verborum: ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου, cum antecedentibus: δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ, contextu luculenter perspici videtur, Judam non tribuisse sibi nomen apostoli, quia eo munere non fungebatur.

Quae nostra sententia ex alio adhuc loco, in litteris nostris obvio, fortasse non parvum trahet praesidium. Videlicet v. 17. et 18. ita legitur: „Vos autem, carissimi, memores estote verborum praedictorum ab apostolis domini nostri Jesu Christi, qui dixerunt vobis, fore, ut supremo tempore (i. e. sub exitum hujus saeculi), existant irrisores cet." — Omnino primo adspectu aliquis credere possit, Judam hoc se loco non persona solum, sed aetate etiam ab apostolis distinxisse. Et sane res est, quae accuratius consideretur, dignissima. Primum igitur quod adtinet ad temporis vestigia hic inserta: a nemine non intelligitur, Judam fateri, epistolam nostram se scripsisse aliquamdiu post, quam apostoli de iis, quae non ita multo ante Christi reditum in terras ad judicium de hominibus instituendum eventura essent, praedixissent. Hoc enim tum ex verbo μνήσθητε patet, quod *praeterita* in memoriam revocat lectoribus; tum vocabulis probatur προειρημένων et ἔλεγον, quae *pridem dicta* aperte indicant; et denique omni dubio carebit, si cum iis, quae ab apostolis

praedicta erant ([6]), contuleris, quae v. 19. et v. 4. leguntur. Ex his enim perspicitur, Judam fore credidisse, ut illo tempore viveret, quo apostolorum praedictiones eventu comprobarentur. At eum post obitum demum apostolorum litteras dedisse, quod statuerunt viri docti Grotius et Corrodius, id nec expressis verbis dicitur, neque ullo modo consequitur. Etenim cum primorum temporum Christiani reditum Jesu Christi e coelo plerumque sub finem ejusdem aevi exspectarent: cum verbis Judae optime potest conciliari, eum scripsisse ipsis adhuc viventibus apostolis, iisdemque tum temporis in aliis fortasse terris religionem Jesu praedicantibus. Quod ut ita statueremus, eo magis adducti sumus, quia, ut acute observavit Chr. Fr. Schmidius ([7]), ad *apostolorum aequales*, quippe qui eorum ipsorum ex ore et usu talia perceperint, se scripsisse, nobis persuadet auctor. Quare doctissimo Dahlio ([8]) ne id quidem concedendum videtur, Judam se *tanquam juniorem* ab apostolis sejunxisse. Quid igitur? — Equidem non gravor fateri, *temporis mentione*, hoc loco injecta, de dignitate apostolica aut impertienda Judae aut deneganda nihil effici atque demonstrari. — Deinceps igitur inquirendum restat, qua ratione et quatenus noster ab apostolis se distinguat. Judam igitur voluisse distingui ab iis, quos hoc loco *τȣ̀ς ἀποςόλȣς τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃* vocavit: luculenter patet ex his, quae modo diximus, eum postea demum haec scri-

---

([6]) *Ὅτι ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ ἔσονται ἐμπαῖκται.*

([7]) v. Hist. antiq. et Vindicatio can. sacri §. 265.

([8]) v. Dissert. de *αὐθεντίᾳ* epistolarum Petrinae posterioris atque Judae p. 82.

psisse, quam lectores talia ex illis apostolis audivissent. Idem autem omni omnino dubio carebit, si perpenderis, Judam semet ipsum ab iis, qui προειρήκασι illa lectoribus et ἔλεγον, ita, sejunxisse, ut alium et plane diversum, illorum effata Christianis nonnisi *in animum revocantem*, minime autem eorum, qui talia praedixissent, unum se ipse significaret. — Sed longe nunc alia quaestio oritur: a *quibus*, scilicet apostolorum, *quamque multis* se discerni voluerit Judas? Cui quidem quaestioni profecto aliquis possit respondere: „nostrum sub verbis: οἱ ἀπόςολοι τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ nullo modo intellexisse duodecim seu tredecim apostolos Domini ad unum omnes; sed verba tantum fecisse de illis ex apostolorum numero, qui ante hoc tempus lectorum suorum extitissent doctores. Id probari additamento: ὅτι ἔλεγον ὑμῖν, quae verba, — nisi forte hanc epistolam ad omnes omnino Christianos, sed ad singulos quosdam lectores, certe ad nonnullas tantum ecclesias perscriptam esse credas, — juste intelligi possint nonnisi de certis quibusdam apostolis, iisdemque pristinis lectorum Judae doctoribus. Quae vero cum ita sint, a nemine posse negari, litterarum auctorem se minime discerni voluisse ab *omnibus*, sed ab *iis* tantum apostolis, qui ipsius lectoribus religionem Christianam ante hoc tempus tradidissent. Itaque dubium quoque a Dahlio motum: nimirum Judae, si apostolicam voluisset auctoritatem sibi assumere, scribendum fuisse: ὑπὸ τῶν ἄλλων s. λοιπῶν ἀποςόλων, — labefactari atque corruere, quia homines, qui epistolam accepissent, unice de priscis suis doctoribus cogitantes, nihilominus nostrum et potuerint pro apostolo habere, et revera habuerint; modo

pro tali apostolo, qui hucusque doctoris necessitudine secum nondum conjunctus fuisset." — Sed secundum illud: audiatur et altera pars! — me contrariam quoque sententiam defendere oportet. Primum igitur argumentatione illa, etiamsi totam concedamus, nihil aliud perficitur, nisi id, Judam se ab *omnibus* apostolis excludere voluisse non necessario putandum esse; minime vero ostenditur, *omnino fieri non posse*, illum se his verbis ab omnibus apostolis sejunxisse. Fac enim, eum *hoc* quidem loco de *nonnullis* tantum apostolis egisse; nullo tamen verbo dixit, se ceterorum, hic non nominatorum, apostolorum esse unum; de qua re omnia, quae hucusque vidimus, longe aliud statuere suadent. Sed illam argumentationem ut concedamus, tantum absumus, ut contra evincere conemur, vocabulum *ἔλεγον*, licet de *singulis* tantum apostolis accipiatur, non impedire, quo minus sub verbis: *οἱ ἀπόςολοι* cet., omnes intelligamus apostolos, et hac de re sic quoque Judam ab omnibus se distinxisse contendamus. Statuere enim licet, apostolos fere *omnes* talia, Christi reditum antecessura, hic illic praedixisse, (cf. ejusmodi loca apud Knappium in Comment. in 1. Joh. V, v. 6 sqq.) licet *nonnulli* tantum eorum Judae lectoribus haec patefecerint; neque omni destitutum est verisimilitudine, Judam v. 17. de omnibus, certe pluribus in universum, v. 18. autem nonnisi de singulis apostolis cogitasse. Attamen in his nolumus subsistere. Id potius probare studebimus, ne verba quidem: *ὅτι ἔλεγον ὑμῖν*, de iis tantum apostolis necessario intelligenda esse, qui ante hoc tempus doctores extitissent Christianorum, ad quos Judae epistola missa est. Primum enim cum auctor v. 17. non

dixerit: ῥημάτων τῶν προειρημένων ὑμῖν, sed in universum: ῥημάτων τῶν προειρημένων; cumque porro non scripserit: ὑπὸ τῶν ἀποςόλων ὑμῶν, — quasi de priscis lectorum suorum doctoribus, — neque ὑπὸ τῶν ἄλλων s. λοιπῶν ἀποςόλων, — ita ut se ipsum, non minus apostolum, exciperet; — sed generaliter: ὑπό τῶν ἀποςόλων τȣ κυρίȣ; cum denique haec exspectatio malorum Jesu in has terras reditum antecedentium hominum tam late pateret, ut in omnibus fere N. T. libris ejus vestigia appareant: — quis, Judam v. 17. de omnibus, nullo excepto, apostolis cogitasse, negabit? Quae cum ita sint res, verba sequentia: ὅτι ἔλεγον ὑμῖν, non minus generaliter sunt accipienda, modo ipsa non adversentur. Quod quidem nemo facile nobis persuadebit, si bene perpenderimus: cum litteras nostras forsitan non ad unum, sed ad plures Christianorum coetus datas esse, qui igitur pluribus quoque apostolis facile doctoribus gloriari possent; tum vocem ἔλεγον non magis de iis, quae apostoli praesentes et viva voce docuerant, quam de doctrina eorum litteris tradita, intelligi posse (⁹). Quam ob rem verba: ὅτι ἔλεγον ὑμῖν, ad plures apostolorum epistolas, huc illuc perscriptas, cumque Judae lectoribus communicatas, optimo jure referri possunt; ita ut epistolae auctorem se ipsum ab omnibus, certe pluribus apostolis, hoc loco distinxisse, jure meritoque defendatur. Cum igitur noster in tota epistola ne verbo quidem significaverit dignitatem suam apostolicam, — quod

---

(⁹) Hoc sensu verbum λαλεῖν in secunda legitur ep. Petri III, 16. ubi ita: λαλῶν (Παῦλος) ἐν αὐταῖς (sc. ἐπιςολαῖς) περὶ τȣτων.

tamen, modo vere fuisset apostolus, eum, quippe lectoribus non satis cognitum, facturum fuisse non possumus quin credamus; cum porro auctoritatem sibi et apud lectores commendationem non a munere apostolico quaesiverit, sed a fratre Jacobo; atque tandem, nisi ab omnibus, á nonnullis saltem apostolis, ita se ipse sejunxerit, ut ceteris se minime adnumeraret: equidem jam non video causam, cur Judam, ipso invito ac nolente, apostolum Domini aut fuisse aut talem se gerere voluisse statuamus.

Sed quia Judas pro apostolo haberi non vult; quaeritur: quas tandem partes se egisse, atque quonam tempore vixisse hasque litteras scripsisse, nobis persuadere velit? *Temporis* igitur plura invenimus indicia per epistolam sparsa. Primum si v. 18. et 19. contuleris cum v. 4. aliisque epistolae locis: Judam, ἐν τῷ ἐσχάτῳ χρόνῳ, i. e. illo tempore, quo plerique Christianorum Jesum Christum mox e coelo rediturum exspectabant (ergo aetate Christi in coelum ascensionem subsecuta), litteras a se datas esse, affirmare intelliges. Sed hoc argumento, ut vago et incerto, jam misso, venimus ad aliud, quod v. 17. et 18. in eo continetur, quod lectores suos ponit esse ipsorum discipulos et aequales apostolorum; quorum quidem praedictiones, vel ore vel scriptis traditas, illis, tanquam bene notas et ab ipsis apostolis acceptas, in memoriam revocat. — Neque igitur minus intelligitur, ipsum quoque Judam pro aequali apostolorum haberi voluisse, tum quod horum discipulis epistolam destinavit, tum quia de istis apostolorum effatis ita locutus est, quasi ex ipsorum sermone et consuetudine ea percepisset. Idem insuper patet ex nomine sibi addito: ἀδελφὸς Ἰα-

κώβȣ. Nam cum, ut vidimus, aetati apostolicae se ipse vindicet, atque nomine fratris utatur, ut se commendet et accuratius describat: quemnam, quaeso, Jacobum, nimirum magna inter primos Christianos auctoritate gaudentem, potest intelligere, nisi unum ex primis et praecipuis religionis Christianae doctoribus, qui Jacobi nomine utebantur. — Quod attinet ad *stirpem* Judae et originem, affirmat tantum, se esse ἀδελφὸν Ἰακώβȣ; ex quibus satis certe efficitur, ipsum origines suas ad parentes Judaeos referre. Sed, quid sibi vult vox ἀδελφος? utrum significat *fratrem germanum*, an, ut אָח Hebraeorum, *consobrinum* et quemlibet alium cognatum? Certi quid sane in hac re afferri nequit; attamen proxime ad veritatem accedere videtur sententia, secundum quam Judas pro fratre Jacobi strictius sic dicto haberi velit. Qua accepta, restat longe difficilior quaestio; cujus demum Jacobi fratrem se appellet, atque num hunc Judam cum fratre Jacobo in libris N. T. omnino commemoratum inveniamus? Qua in re certi nihil, verisimilia autem perpauca obtinebimus. Id tantum ex epistola ipsa consequi videtur: Jacobum, Judae fratrem, apud Christianos certe, ad quos litterae datae sunt, eamque ob rem fortasse apud omnes primorum temporum Christianos magna auctoritate excelluisse. Si vero hoc posterius recte ponimus, profecto non omni veritatis specie caret sententia, nostrum cogitasse de Jacobo, aut ipso *apostolo*, aut saltem dignitate ornato, non multo inferiore apostolorum auctoritate. — Cum, licet res ita se habeat, ipse tamen pro apostolo haberi nolit: quamnam tandem dignitatem sibi tribuit? Ex tota epistola, praecipue ex v. 3. (cf. v. 4.) intelligitur, Judam agere perso-

nam doctoris religionis Christianae; quiquidem necesse esse ducat, Christianos litteris adhortari et monere, ut religionem suam, pravis hominibus irrepentibus, constanter teneant. Quodsi igitur δῦλον Χριςῦ se nominat: sine dubio hoc quoque titulo, per se non satis perspicuo, se virum significavit, qui doctrinae Jesu tradendae et per terras propagandae munere fungeretur. At quali docendi munere, et ubinam, id ne verbo quidem attigit. — Si ipsum igitur ducem ac testem sequimur, temporibus quidem apostolicis se vindicat, non autem ipsis apostolis; porro se exhibet doctorem religionis Christianae, ex Judaeis natum, praetereaque fratrem cujusdam Jacobi, tum temporis apud Christianos satis cogniti atque illustris. Et in his quidem acquiescere debemus; amplius enim de tempore suo et persona ipse nil perhibet auctor.

2) Oritur nunc alia quaestio, et ea quidem gravissimi in hac nostra disputatione momenti: num scilicet Judas, epistolae auctor, quemadmodum ipse in epistola se descripsit, in N. T. inveniatur? Cum autem et frater, quem sibi vindicat, Jacobus sine dubio unus fuerit virorum hoc nomine in N. T. celebratorum, et ipse noster haud contemnendas doctoris Christiani partes egisse videatur: spes, fore ut nostrum in N. T. investigemus, profecto non levissima est. Quapropter non inane quid nobis facturi videmur, si quidem de singulis N. T. viris, Judae nomen gerentibus, accuratius perscrutabimur. Primum igitur Juda Iscariote et Juda Galilaeo, quos nullo modo respicere licet, praetermissis, ex iis, qui in N. T. hoc nomine appellantur, nominandus videtur Judas quidam, cujus in actis App. cap. XV. fit mentio, ὁ ἐπι-

καλέμενος Βαρσαβᾶς, ab apostolis, in primo concilio Hierosolymitano congregatis, una cum Sila Antiochiam missus, de quo, aeque ac de Sila, legimus: *ἄνδρας ἡγεμένες ἐν τοῖς ἀδελφοῖς* (v. 22.); qui *προφήτης* nominatur (v. 32.); Hierosolymis habitasse videtur, (huc enim redit); attamen ex apostolorum ordine non erat (v 33.). De hoc igitur Juda possit omnino aliquis cogitare! At nusquam a Luca frater Jacobi vocatur, sed multo magis *Βαρσαβᾶς*; quod cognomen si idem valet, ac *filius Sabae:* ille fratrem Jacobum eundemque filium Sabae in N. T. non inveniet. Summo praeterea jure exspectare videmur, Judam, qui Barsabas cognominatur, modo unus idemque sit cum Juda, Jacobi fratre, in Actis quoque non *Βαρσαβᾶν*, sed *ἀδελφὸν Ἰακώβε* a Luca appellatum fuisse. Quam ob rem in hunc quidem Judam non cadit epistola.

Porro in evangelistarum scriptis occurrit *apostolus Judas, Lebbaei etiam et Thaddaei cognomine insignis* (10). Hunc vero jam eam ob causam epistolae auctorem habere non licet, quia ille fuit apostolus, noster autem minime talem se professus est gessitque, ut supra luculenter expositum est. Praeterea vel aliud gravissimum argumentum, ex verbis *ἀδελφὸς Ἰακώβε* deductum, et id quidem, plerumque neglectum, effecit, ut equidem Judam, epistolae auctorem, et Judam apostolum plane diversos atque nonnisi communi nomine usos fuisse statuerem. Etenim noster se fratrem cujusdam Jacobi magna auctoritate gaudentis, aperte declaravit. Antequam igitur eum

---

(10) Cum Luc. VI, 16. et Actt. I, 13. cf. Matth. X, 3. Marc. III, 18.

unum eundemque cum Juda apostolo habere licet, quaeritur: num *huic* quoque talis frater, Jacobi nomine et idem auctoritate non modica insignis, jure meritoque possit vindicari? Quam rem me in quaestionem vocare, mirum fortasse possit videri, cum longe plurimorum sane doctorum virorum consensu non dubitetur, quin apostolus Jacobus, Alphaei filius, fratrem habuerit Judam apostolum, Lebbaei et Thaddaei cognomine appellatum. Quod demonstrare sibi videntur e loco Lucae VI, 16. (cf. Actt. I, 13.), ubi Judas apostolus nominatur Ἰούδας Ἰακώβου, quae verba vertunt: „Judas *frater* Jacobi"; ita ut non υἱὸς intelligatur, quod consuetum est, sed ἀδελφός. Eam opinionem defendentes, primum ad *usum loquendi V. T.* provocant, secundum quem vocabulum אָח eodem modo 2. Sam. XXI, 19. omissum esse pateat, si conferre velis similem locum 1. Paral. XX, 5. Cum enim hoc posteriore loco narretur, Elchananum fugasse אֶת־לַחְמִי אֲחִי גָּלְיָת (Lachmium, fratrem Goliathi); priori autem legatur, illum necasse בֵּית הַלַּחְמִי אֵת גָּלְיָת (familiam Lachmii, Goliathum): dubitari non posse, quin אֵת גָּלְיָת scriptum sit pro אֵת אֲחִי גָּלְיָת. Verum enim vero hoc loco per se satis obscuro effici, quod volunt, vix credam. Primum enim, si בֵּית הַלַּחְמִי recte vertimus: *familiam Lachmii* (11): illi, qui אָח intelligunt, statuant necesse est, vocem אֵת significare h. l. genitivum, vertentes: „familiam Lach-

(11) LXX verterunt: Ὁ Βηθλεεμίτης, ut referatur ad Elchananum; quod nullam prae se fert veritatis speciem, cum quia urbs Bethlehem scribatur: בֵּית־לֶחֶם, cujus vocabuli ejusmodi forma nusquam obvenit; tum propter locum parallelum, in quo לַחְמִי, plane eodem modo expressum, sine dubio virum significat.

mii, fratris Goliathi." Verum אֶת pro signo genitivi nusquam invenitur; sed accusativum tantum et nonnunquam nominativum exprimit. Quare, ut nunc quidem textus exstat, vertendum est: „fugavit familiam Lachmii, (nempe) Goliathum" ([12]). Quodsi autem hunc locum cum illo 1. Paralip. conciliare lubet: sane ad veritatem propius accedit, cum Gesenio, viro, inter omnes litteris Hebraeorum operam navantes facile primo, — statuere: Lachmium, Goliathi fratrem, et ipsum Goliathum audivisse, ut hoc forsitan nomen gentile, neque unius hominis fuisset. Quae sententia si cui minus placet, quia verba אֶת גָּלְיַת non commode appositionem (ut cum grammaticis loquar), antecedentis בֵּית הַלַּחְמִי faciunt: is, utrumque locum accuratius inter se comparando et inspiciendo, sine dubio alterutrum a scribis corruptum inveniet, ita videlicet, ut 2. Sam. pro אֶת (ante גלית) ab initio scriptum extiterit אָח, quod cum vocabulo אֶת facillime permutari potuit. Quo facto omnia sunt plana atque perspicua. Legitur enim tum: „Fugavit familiam Lachmii, fratris Goliathi." —

Quibus jam ita expositis, cum aliud ex V. T. exemplum afferri nequeat: id certe perspicitur, illum, de quo sermo est, usum loquendi, secundum quem vox *ἀδελφὸς* omittatur, ex Hebraeorum, quae extant, scriptis praesidium non trahere. Quaesiverunt igitur exempla in Graecorum scriptoribus, et primo quidem attulerunt locum e Diodoro Siculo ([13]): *„γήμας δὲ* (sc. Melampus) *Ἰφιάνειραν τὴν Μεγαπένθους,"* quem vertunt:

([12]) Recte LXX: *τὸν Γολιὰθ τὸν Γεθθαῖον.*

([13]) Qui extat T. I. p. 312. ed. Wesseling.

„Iphianiram; *sororem* Megapenthis;" quam tamen versionem doctissimus Wesselingius ad h. l. janijam refutavit. Cujus quidem verba haec sunt: „Diligentissimus Simson ad A. M. 2694. deesse hîc vocabulum scribendumque: τὴν Μεγαπένθες ἀδελφὴν, arbitratur ([14]). Proëti enim filiam, Megapenthis sororem, matrimonio sibi Melampodem junxisse. Quod posterius certissimum si foret, ellipsi fortasse succurri posset Diodoro, rariore quidem, nec inusitata tamen.... Verum ea non utor. Apollodorus Proëti *filiam* Iphianassam Melampodi uxorem dat (II, 2.). Dissentit ergo in feminae nomine et in tempore, quo res gesta. Noster Anaxagorae aetate, qui Proëti nepos, aut, (ut Pausanias II, 18.) pronepos fuit, mulieres Argivas a Baccho in furorem actas adfirmat: estque adeo verosimilius, Anaxagorae sororem, quam aviam, Melampodem duxisse. Nihil itaque muto." — Haec Wesselingius. Si igitur Iphianiram Megapenthis filiam et Anaxagorae sororem fuisse statuas: Melampodem eam matrimonio sibi conjunxisse, ab veritate non est alienum. Sin vero cum Simsone illam Megapenthis sororem et Proëti filiam fuisse credas: jam accipias necesse est, Melampodem Anaxagorae amitam duxisse; quod minus verosimile. Quid? si cum Pausania Anaxagoras Proëti pronepos ponitur: tum profecto Megapenthes, Anaxagorae pater, nepos est Proëti, non filius; atque Iphianira, quippe Proëti filia, non soror Megapenthis, sed amita. Itaque omnia contra Simsonem, nulla pro ejus sententia. — Redeamus igitur ad Wesselingium, qui, ut probet, hujusmodi ellipsin non plane inusitatam esse,

---

([14]) Ignorat igitur Simson ejusmodi ellipsin.

affert locum ex Alciphronis l. II. ep. 2., ubi *Τιμοκράτης ὁ Μητροδώρȣ* dicitur, qui ejus *frater* fuit, teste Diogene X, 23. ([15]). Ad hunc locum provocat etiam Schaeferus ad Lamb. Bos Ellips. gr. p. 18 ([16]); atque Berglerus in nota: „Hic rariore exemplo subaudiendum videtur non *υἱὸς* sed *ἀδελφός*." Et profecto negari nequit, eundem Timocratem, de quo Alciphron agit, apud Diogenem haud semel Metrodori *fratrem* appellari. Quid? quod vel apud Ciceronem ([17]) legitur: „Accusat Timocratem, *fratrem suum*, Metrodorus." Praeterea Plutarchus in libro: „Quod non possit vivi suaviter secundum Epicurum" inscripto habet: *ἢ γὰρ ȣ̓ τȣ́τοις ἔοικε τὰ Μητροδώρȣ, πρὸς τὸν ἀδελφὸν* cet. — Tandem Proclus ad Hesiodi Operum et Dierum l. I. dicit: *Τιμοκράτην δὲ καὶ Μητρόδωρον τȣ̀ς Ἐπικȣρείȣς, ἀδελφȣ̀ς ὄντας.* — Re ita se habente, cum apud Alciphronem legimus: *Τιμοκράτης ὁ Μητροδώρȣ*: vocabulum *ἀδελφὸς* omnino subaudiendum videri possit. At primum, quis negabit, fieri posse ut Timocrates et Metrodorus fratres fuerint eosdemque filios alius Metrodori, cujus memoria ad nos

(15) Nam de alio exemplo, a viro docto allato, valde miratus sum. Incuriosius enim ita habet: „*Ἰάκωβος Ἀλφαίȣ* s. Lucae A. A. I, 13. ejusdem frater;" quod hucusque nemini in mentem venit. Sine dubio scribere voluit: *Ἰȣ́δας Ἰακώβȣ*. E quo tamen errore nonnisi id confici fateor: eum exempla, quibus ellipseos usum probare studebat, minus accurate perpendisse.

(16) Alia exempla non attulit, sed relegavit nos ad Wesselingium. Non potuit tamen, quin adderet: „E contrario passim videas in talibus interpretes somniare fratres sororesve, ubi graeci scriptores de filiis aut filiabus loquuntur." Quae viri docti verba gravissima sunt neque a nobis contemnenda.

(17) v. Librum primum de Natura Deor. cap. 17.

haud pervenerit? Quem deinde fugit, Diogenem Laërtium l. l. minime accurate et distincte de Timocrate et Metrodoro locutum esse. Eum enim secuti, duos Timocrates habebimus ([18]), atque duos itidem Metrodoros ([19]). Imo his non contentus, porro tradit Diogenes, non solum duorum Timocratum unum, Metrodori fratrem, Epicuri scholam deseruisse ([20]); sed etiam duorum Metrodorûm alterum, Stratoniceum, ab Epicuro ab Carneadem defecisse ([21]), quod mirum profecto videri oportet, cum ([22]) Carneades Academicus, qui mediam primus constituit Academiam, et de quo Diogenes sine dubio intelligendus est, ne natus quidem esset moriente Epicuro, qui diem supremum obiit anno 269. ante Chr. n., Carneades autem, ipso Diogene auctore ([23]), mortuus sit anno 127. ante Chr., annos octoginta quinque natus, id est anno 212. ante Chr., septem ergo et quinquaginta annos post mortem Epicuri. — Quodsi autem res ita se habet, ut Diogenes non modo personas, sed tempora etiam perfundat atque permisceat: quis eum in sensu, quem Alciphron voluit exprimere, constituendo pro duce et auctore agnoscere non dubitet? — At, inquis,

([18]) v. Diog. ex edit. II. Is. Casauboni, Colon. Allobrog. 1615. p. 717–19. cf. p. 719.

([19]) Ibid. p. 721. 718 et 719 cf. p. 712. — Idem observatum est a Menagio Observatt. in Laërt. l. X. p. 259 his verbis: „Duo fuere eo nomine (sc. Timocrátis) Epicuri discipuli, Timocrates Lampsacenus, Metrodori frater, et Timocrates, Demetrii filius, Potamius."

([20]) Ibid. p. 710.

([21]) Ibid. p. 712.

([22]) Quod idem Menagius observavit in l. l. p. 262.

([23]) v. In vita Epicuri l. IV. §. 65.

Cicero, Plutarchus, Proclus ab ejus stant partibus! Audio! sed nonne potuit opinionum diversitas oriri in temporis spatio, plus quam sexcentos annos amplectente? ([24]) atque praesertim in re tam exigui momenti, quam revera est Timocrates aut frater aut filius Metrodori; ita ut Cicero, Plutarchus, Diogenes, Proclus aliam sequerentur sententiam, aliam Alciphron? — Statuere quoque licet, Alciphronem hoc loco errorem commisisse, atque, fallente memoria, Metrodori filium pro ejusdem fratre posuisse. Possit aliquis objicere: „fieri injuriam scriptori, si quid falsi, nulla urgente necessitate, eum dixisse seu scripsisse, statuamus." — Verum! enim vero, parum refert, utrum auctori cum ellipsi tam inusitata nulloque certo exemplo confirmata in auxilium venias, an, illum errasse, ingenue confitearis. Equidem vero ut hoc posterius longe praeferrem, vel per id ipsum adductus sum, quod alterum scriptori suppeditatum subsidium satis luculenter prae se fert speciem subiti auxilii atque temporarii tantum. Imo ipsa Bergleri verba supra laudata hoc aperte declarant. Quare enim *videri* sibi dicit, nisi voluerit significare, hoc rarissimum esse exemplum, atque argumentis probari posse nullis: Alciphronem, sive recte sive minus, non de filio, sed de fratre hic cogitasse. Qua re non possum, quin verisimiliorem sequar sententiam: Alciphronem, de Timocrate Metrodori loquentem, aut errorem commisisse, aut ab alia illa opinione optimo consilio abiisse; ergo hic quoque inusitatae ellipseos locum non esse.

([24]) Ab anno 269. ante Chr. n. usque ad annum 350. post Chr.; quem circa annum Alciphron scripsit.

Tertium denique locum, quo ille loquendi usus probaretur, attulit Fischerus ([25]), qui ita habet: Ἀδελφὸς et ἀδελφὴ interdum desunt post genitivum nominis proprii personae alicujus, articulo vel addito vel non addito. Sic apud Isocratem Panathen. ([26]): ἐπ' Ἀντιώπην τὴν Ἱππολύτης ([27]). Vertunt illa: „propter Antiopen, *sororem* Hippolytae, bellum faciebant Amazones cum Atheniensibus;" atque hujusmodi versionis argumentum proferunt, quod Antiope a Pausania ([28]), Justino ([29]), Hygino ([30]), Hippolytes soror nominata sit. At primum tota Amazonum historia fabulis repleta est et incertitudine. Alii enim Antiopen Amazonum reginam statuunt ([31]), alii Hippolyten ([32]), alii Melanippen ([33]). Alii tradiderunt Antiopen a Theseo captivam ductam ([34]), alii Hippolyten ([35]); de qua re Diodori jam temporibus opinionum erat diversitas ([36]).

([25]) Animadverss. ad J. Velleri Gramm. Gr. spec. III. pars 1. ed. Kuinoel. Lips. 1800. p. 250.

([26]) Ed. Hier. Wolfio. Basileae 1631. p. 534.

([27]) Alius exempli ille memoriam non fecit; provocavit autem ad Wesselingii l. l.; quocum quomodo se habeat res, jam vidimus.

([28]) L. I. c. 41: Ἱππολύτην δὲ ἀδελφὴν ἔσαν Ἀντιόπης.

([29]) L. II. c. 4: „Multae caesae captaeque; in his duae Antiopae *sorores*, ... *Hippolyte* a Theseo."

([30]) Cum fab. 30: „Hippolyten, *Martis* filiam," cf. fab. 241: „Antiopam, Martis filiam."

([31]) Just. II, 4.

([32]) Paus. Attica c. 41. et Apollodor. l. II. c. 5. §. 9.

([33]) Diod. IV. c. 16.

([34]) Diod. l. l. et Pindar. ap. Paus. Att. c. 2.

([35]) Just. l. l. et Cleidemus ap. Plut. T. I. p. 13. ed. Francof.

([36]) Diod. IV. c. 28.

Porro Thesei filium, sive ex Antiopa genitum sive ex Hippolyta, plerique quidem vocant Hippolytum, Pindarus autem Demophontem (37). Itaque optimo jure doctissimus Heynius (38): „In his igitur, inquit, historiarum fidem aut vestigia nemo quaesiverit." Quae cum ita sint, quomodo potest effici, utrum Isocrates *sororem* Hippolytes an *filiam* intellexerit? Nam quo jure sensum, ab Isocrate exprimendum, auctoritatem Hygini, Pausaniae et Justini secutus, definire velis: equidem haud perspicio, praesertim cum ille plus quingentis annis ante hos orationes suas scripserit, (anno 430. circiter ante Chr.). Quodsi quis vicissim illos posteriores ex Isocrate interpretetur atque emendet: is sane melioris frugis quid faceret. Addas velim, reliquos scriptores, qui de hac re agunt, Diodorum et Apollodorum, Antiopen neque sororem Hippolytae, neque filiam vocasse. Quis denique negabit, fieri potuisse, ut Isocrates aliam, ab eorum, qui Antiopen Hippolytae sororem habebant, diversam sententiam sequeretur. Talem vero opinionum varietatem revera extitisse, testis est Servius grammaticus, qui Antiopen *filiam* Hippolytae fuisse asseruit. Etenim ad Virg. Aen. XI. v. 661. haec habet: „Haec (Hippolyte) Amazonum fuit regina, cui victae Hercules balteum sustulit: hujus *filia* Antiopa, quam Theseus rapuit, unde Hippolytus." — Dicisne fortasse, Servium nonnisi *sua* Isocratis interpretatione ad hanc opinionem pervenisse. Fac autem, rem ita se habere: hoc sane ipsum argumento est, grammatico certe hujusmodi ellipsin plane inusitatam et

(37) Ap. Plut. l. c.

(38) In notis ad Apollodor. P. I. p. 374.

ignotam fuisse ([39]). Cum igitur Servius consilio filiam Hyppolytes illam vocaret; Isocrates autem, nisi ellipsi inusitata nullisque exemplis confirmata, in auxilium vocata, de sorore Hippolytae loquens intelligi nequeat: equidem non amplius dubito, quin, Isocratem de hac re sententiam, a consueta illa diversam, eandemque a Servio defensam, tuitum esse statuam; praesertim quia vel paulo ante hunc Isocratis locum invenio apud eundem: *μετ' Ἐυμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος*, i. e. „cum Eumolpo *filio* Poseidonis," quapropter vix puto fieri potuisse, ut noster dicendi formulam, quam modo propria significatione satisque consueta adhibuerat, eandem statim post longe alio sensu, plane insolito atque inusitato, repeteret.

Cum igitur ex usu loquendi, apud scriptores Graecos obvio, ellipsin illam probare non possint, aliud proferunt argumentum, quo Judam apostolum Jacobi, filii Alphaei, fratrem fuisse demonstrent. „Videlicet Jacobum Alphaei et Jacobum *ἀδελφὸν τοῦ κυρίου* (Matth. 13, 55.) esse unum eundemque; huic autem fratri domini apud Matthaeum aperte adscribi fratrem nomine Judam; quare et apostolo Jacobo fuisse fratrem Judam, atque hunc ipsum esse Judam apostolum, quem Lucas *Ἰούδαν Ἰακώβου* appellaverit; quod eo probabilius videri, quia apud Lucam Jacobus, Simon et Judas eodem ordine et serie enumerentur, quo apud Matthaeum" [40]). — Fac vero, Jacobum Alphaei et Jacobum, fratrem domini, esse

---

([39]) Quae omnia, etiamsi verba supra laudata non Servii, sed Pseudo-Servii cujusdam esse statuantur, defendi poterunt.

([40]) Hanc sententiam praesertim Gablerus defendit in Dissertat. de Jacobo, epistolae eidem adscriptae auctore p. 7. 8.

unum, (de hac enim re infra sermo erit): inde profecto consequitur, apostolum Jacobum Alphaei habuisse fratrem Judam. Sed quomodo inde evinci potest, hunc fratrem esse apostolum Judam? Neque id nominum ordine probatur; qui quidem, per se minime aptus, ad ejusmodi quaestiones dirimendas, imo hoc loco adversatur, cum Judas, ab Jacobo èt Simone separatus, cum Juda Ischariote vocabulo *καὶ* conjunctus legatur. Cuicunque praeterea nostrum locum cum Act. I, 13. comparanti patebit, Lucam accuratum verborum ordinem non curasse, quippe qui in Actis Petrum et Andream fratrem ita sejunxit, ut Jacobum Zebedaei et Joannem post Petri nomen intersereret; qui idem in Evangelio Philippum et Bartholomaeum, Matthaeum et Thomam conjunxit, cum in Actis post Philippum scriberet Thomam, et Matthaeum post Bartholomaeum. Quapropter hoc quidem argumento non prohibemur, quin Judam apostolum, Jacobi cujusdam *filium*, a Juda, Jacobi Alphaei fratre eodemque *ἀδελφῷ τȣ̃ κυρίȣ* diversum fuisse putemus. — Possit etiam aliquis dicere; „propterea verba *Ἰȣ́δας Ἰακώβȣ* de hujus fratre intelligenda esse, quia Lucas non *Ἰȣ́δας ὁ τȣ̃ Ἰακώβȣ* scripserit, ut alibi, e. c. v. 15.; sed articulum omiserit, quasi de re per se satis cognita loqueretur." At inspicias velim locum parallelum Act. I, 13., ubi idem habet: *Ἰάκωβος Ἀλφαίȣ*.

Nonnulli demum, si Judam apostolum fuisse fratrem Jacobi Alphaei ostendere volunt, relegant nos ad epistolae Judae v. 1., ubi apostolus Judas se ipse ita appellaverit. Sed quis, quaeso, non videt, illos hic pro vero ponere certoque, Judam apostolum et Judam epistolae scriptorem unum

eundemque fuisse, quod ipsum demum probandum. Iidem autem, quod sane mirum est, ut hoc posterius evincant, rursus provocant ad verba Ἰέδας Ἰακώβε, ex quibus apparere narrant, apostolum Judam fratrem esse Jacobi, hunc vero fratrem esse eundem, qui litteras composuerit. — Attamen in his non haereamus, cum argumenta, sententiam nostram de Juda apostolo *non fratre* Jacobi defendentia, nunc uberius exponenda, rem ad liquidum, spero esse perductura. Primum igitur ne vocem ἀδελφὸς apud Lucam omissam esse credamus, vetat usus loquendi scriptorum Graecorum, apud quos duo tantum loci inveniuntur, qui plane inusitatam hanc ellipsin nonnullis cum quadam verisimilitudinis specie comprobare videntur, sed ii etiam incerta tantum et maxime dubia exempla praebentes; quae, etiamsi pro ratis certisque habeamus, tamen, quin hoc loquendi genus rarissimum et maxime insolens esse fateamur, nullo modo efficiunt, et insuper ad interpretationem loci evangelici definiendam parum valent. Nam alter locus est Isocratis, qui 470 annis ante, alter Alciphronis, qui 300 annis post Lucam scripsit, uterque autem nostro certe non lectus. Deinde ex Hebraeorum quoque libris ejusmodi omissio vocabuli ἀδελφὸς nullo modo defendi potest, quod, quia sacri N. T. scriptores multo minus Graecorum, quam Hebraeorum dicendi scribendique rationem secuti sunt, sine dubio in nostra disceptatione gravissimi est momenti. Tum denique hujus ellipsis usus eum in modum abhorret a sacrorum scriptorum more cogitata exprimendi, ut ne levissimum quidem ejus vestigium in toto N. T. reperiatur, contra, et ubicunque locorum apud genitivum nominis proprii

ellipsis exstet, vox υἱὸς sit intelligenda ([41]); et quocunque loco de *fratre* cujusdam sermo sit, is expresse ἀδελφὸς nominetur ([42]). — Quonam igitur jure hic ellipsin, ne uno quidem satis certo exemplo comprobatam, censeant esse statuendam viri docti, equidem non perspicio, praesertim quia rationes omnes, ab illis pro sententia sua defendenda allatas, ad ea, quae iis ostendere voluerunt, efficienda minime aptas esse, copiose exposuimus. — Quid? quod vel ipsius loci contextus talem ellipsin quam gravissime vetat et prohibet. Nam cum Lucas non solum paulo ante (v. 14.) Andream non Ἀνδρέαν Πέτρȣ, sed Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν τȣ̃ Πέτρȣ expressis verbis nominaverit; sed etiam v. 15. verbis Ἰάκωβον τὸν τȣ̃ Ἀλφαίȣ, Alphaei *filium*, non fratrem, intellexerit: qui, quaeso, cogitari potest, nostrum eodem paene commate longe aliud dicendi genus adhibuisse, quod, per se obscurum, verborum contextu adhuc insolentius fieret duriusque, neque potius, si Simon et Judas revera fratres Jacobi essent, more suo retento, aut scripsisse: Ἰάκωβον τὸν τȣ̃ Ἀλφαίȣ, καὶ Σίμωνα καὶ Ἰȣ́δαν τȣ̀ς ἀδελφȣ̀ς αὐτȣ̃; aut: Ἰάκωβον καὶ Σίμωνα καὶ Ἰȣ́δαν τȣ̀ς τȣ̃ Ἀλφαίȣ. Praeterea, si fratres essent, profecto non satis mirari possumus, quod Lucas tantum Ἰȣ́δας Ἰακώβȣ, neque eodem modo Σίμων Ἰακώβȣ scripserit, sed hunc Simonem plane alio cognomine τȣ̃ Ζηλωτȣ̃ significarit,

([41]) Cum Luc. VI, 15: Ἰάκωβος ὁ τȣ̃ Ἀλφαίȣ cf. Act. I, 13. Matth. X, 3. et Marc. III, 18. — Cum Matth. X, 2. cf. Marc. III, 17. cet.

([42]) Cum Matth. X, 2. cf. Luc. VI, 14. Cum Matth. X, 3. cf. Marc. III, 17. cet.

quod etiam Act. I, 13. factum est, quasi cum Jacobo rem non haberet. Quodsi autem Simon frater Jacobi non fuit, idem quoque de Juda valet, quippe qui, si aliter statuas, legatur sejunctus a fratre, a quo tamen definitionem trahat, quod credere non possum. — Ad id denique accedit, Lucam, si Judas frater fuisset Jacobi, *utroque* loco dicendi usum minime consuetum secutum fuisse; cum tamen probabile sit, eum certe uno alterove loco Judam accuratius tanquam fratrem descripturum fuisse. — Quid vero dicam de eo, quod apostolus Judas, quamquam occasio non deerat, nusquam tamen in N. T. frater Jacobi expressis verbis vocatur. Apud Matthaeum X, 3. statim post Jacobum hoc modo commemoratur: *Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος*. Itaque de fraternitate nihil; quod mirum, quia Matthaeus eodem loco non minus Andream Petri, quam Johannem Jacobi Zebedaei fratrem appellavit. Idem conspicitur in loco parallelo Marc. III, 18., ubi simpliciter *Θαδδαῖος* vocatur. Quae cum ita sint, et Judas neque apud Johannem, neque alibi in N. T. frater Jacobi appelletur: res sane ea argumentum perhibet non contemnendum, quo ad utrumque Lucae locum de fratre non intelligendum adducamur; quo facto Lucas neque sibi ipsi minus constans, neque ceteris scriptoribus sacris invenitur adversatus. — Tandem id quoque, quod jam sequitur, haud puto esse negligendum. Nimirum cum ab iis, qui Jacobum Alphaei unum fuisse statuunt ex quatuor illis, qui *ἀδελφοὶ τȣ̃ κυρίȣ* dicuntur (43), negari nequeat, hos *ἀδελφȣ̀ς*, certe nonnullos eorum, esse eosdem, qui

---

(43) v. Matth. XIII, 55. et Marc. VI, 3.

apud Matth. XII, 46–50. et Marc. III, 31–35 ab ipso Jesu e discipulorum et asseclarum numero excluduntur, atque qui non solum Joh. VII, 3. a discipulis (μαθηταῖς) Christi semet ipsos distinguunt, sed de quibus etiam Johannes, eos Jesu fidem habuisse, negat: quomodo, quaeso, possunt *tres* horum domini ἀδελφῶν inter *apostolos* referri? Quamquam enim Pottio, amabili doctori, lubenter concedimus, non necessario quidem de *omnibus* Christi ἀδελφοῖς loca ista intelligenda esse, sed unum eorum alterumve, locis laudatis minime adversantibus, inter apostolos fortasse versatum esse: tamen, si tres, Jacobum, Simonem et Judam apostolis accensuerimus, unus tantum restabit τῶν ἀδελφῶν Christi, nomine Josis, ex discipulorum numero segregandus; quod, quia in omnibus locis non de *uno*, sed de *pluribus* ἀδελφοῖς τοῦ κυρίου ἀπίστοις agitur, contra fidem auctoritatemque evangelistarum statuitur, neque defendi potest eo, quod dicunt, Christo forsitan plures adhuc fuisse ἀδελφοὺς praeter quatuor illos, et eos nobis quidem non cognitos.

At de his silet historia evangelica; de iis vero, quae per se fieri potuerint, hic inquirendi locus non est. — Quamobrem his ita, pluribus fortasse quam necesse erat, expositis: equidem non possum, quin cum vetere interprete Syro (44), Luthero, Herdero (45), Dahlio (46) aliisque verba: Ἰούδας Ἰακώβου, vertam: „Judas *filius* Jacobi."

---

(44) Ed. Schaaf. Lugdun. Batav. 1717. in utroque loco: ܝܗܘܕܐ ܒܪ ܝܥܩܘܒ.

(45) Briefe zweener Brüder Jesu p. 13.

(46) In l. l. p. 79. nota *i*.

Si vero Judas *apostolus* recte non frater Jacobi Alphaei fuisse creditur, neque nos de illius fratre quodam, qui Jacobus nominetur, omnino quid compertum habemus; Judas autem, *epistolae auctor*, se fratrem Jacobi, et ejusdem non obscuri, designavit: scriptorem epistolae, (modo is est, cujus prae se fert speciem), minime Judae apostoli personam egisse, certe omni dubio vacat. Sed etiamsi fictas partes sibi assumserit auctor, tamen eam antiquitatis apostolicae notitiam et Pseudo-Judae jure tribuere possumus, ut hunc quoque tanquam Judam apostolum se lectoribus sistere noluisse statuamus.

His excussis, restat ex viris, quibus Judae nomen in N. T. tribuitur, nonnisi unus, Judas ὁ ἀδελφὸς τȣ̃ κυρίȣ (47); in quem nisi descriptio Judae, epistolam scribentis, de se ipso exhibita, ceciderit, tota profecto spes, fore ut epistolae auctorem in N. T. inveniamus, simul corruet atque evanescet. Haec igitur res summum studium summamque operam, quae in eam impendatur, requirit. Et ab initio quidem apparebit, omnino fieri potuisse, ut noster hujus Judae personam ageret. Nam τῷ ἀδελφῷ τȣ̃ κυρίȣ cum epistolae auctore prima ea intercedit similitudo, quod ille non magis, quam hic, apostolus fuit; quod quidem paulo ante pluribus comprobatum et in hac nostra re haud parvi est momenti. Quid? quod ille, aeque ac noster, fratre Jacobo gloriari posset (48). Neque rationes a Dahlio et Eichhornio prolatae nos impedient, quominus nostrum se Judam Christi ἀδελφὸν sistere voluisse credamus.

(47) Cum Matth. XIII, 55. cf. Marc. VII, 3.

(48) v. ibid.

Si enim Dahlio Judas ὁ ἀδελφὸς unam eam ob causam hic non respiciendus visus est, quia, aeque ac reliqui ἀδελφοὶ, Christo et ejus causae parum favisset ([49]): haud quidem negandum est, cum in loco Matth. XII, 46-49. ([50]), τὰς ἀδελφὰς quasi ἀπιςὰς prodire atque significari ab ipso Jesu; tum a Johanne VII, 1-10. fidem Christo non habentes nominari. Neque etiam dubitandum censeo, quin sint iidem, certe nonnulli eorum, qui apud Matthaeum l. l. ceterisque locis nominatim introducuntur. Attamen quod Dahlius inde conficere voluit, epistolae auctorem eundem ac Judam ἀδελφὸν neque fuisse neque esse voluisse: id minime consequitur. Nam exinde, quod ἀδελφοὶ Christo, dum vivebat, fidem non habuerint, sine justa causa concluditur, (quod jam Eichhornius docuit), eosdem post Christi resurrectionem adhuc fidem ei denegasse neque mentem in melius vertisse; quod quidem eos revera fecisse, patet e locis Act. I, 14., ubi οἱ ἀδελφοὶ τᾶ Ἰησᾶ una cum ejus matre Maria et apostolis precantur; atque 1. Cor. IX, 5., ubi οἱ ἀδελφοὶ doctores religionis Christianae esse et ab apostolis discernendi docentur. Quamobrem quo minus Judam etiam post Christum in vitam reversum, huic, animo in melius mutato, fidem habuisse, ponamus, nil amplius impedit. Itaque Dahlius id certe non ostendit, quod sibi proposuerat, fieri non posse, ut Judam, τὸν ἀδελφὸν τᾶ κυρίε, esse personam ab epistolae auctore susceptam existimemus.

([49]) In l. l. p. 83.

([50]) cf. Marc. III, 32-35. et Luc. VIII, 19-21.

Lubet nunc, paucis attingere, quae Eichhornius ([51]), an is Judas, quem, aeque ac Dahlius, germanum Christi fratrem fuisse arbitratur, epistolae nostrae scriptor esse videatur, dubia movit: „Non intelligi, ait, cur Judas ille, se commendandi causa, non ad ipsum Jesum fratrem, sed potius ad Jacobum, de quo nos quidem nil nisi nomen ([52]) cognitum habeamus, provocaverit." — Sed licet *nos* de Jacobo nil compertum habeamus, ex eo nondum justa prodit causa dubitandi; quin certe apud epistolae lectores magna excelluerit auctoritate; cujus rei Judae fides habenda, nisi forte aliunde epistolam spuriam esse appareat atque suppositiciam. — Tum quoque, quae Clemens Alex. in medium protulit ([53]): „Judam se non fratrem, sed servum Jesu Christi vocasse modestiae et religionis causa," non omnino cum Eichhornio contemnenda esse, recte jam Hugius vidit: Nonne enim ex evangelistarum narrationibus patet, vel primos Christianos Jesum non filium Josephi credidisse, sed illius originem ad Spiritum Sanctum retulisse? Quare neminem fugit, fratres Christi uterinos, si qui fuerint, sibi, praesertim post Christum pro hominum salute immolatum et in coelos sublatum, nomen fratrum ejus non tribuisse religionis causa. — Verum enim vero dubitare licet, utrum quatuor illi *ἀδελφοὶ τȣ̃ κυρίȣ*, ergo et Jacobus et Judas, vere fuerint *fratres* Christi *uterini*, neque multo magis ejus *consobrini*; ut Jacobus, quem Judas fratrem sibi vindicat, idem sit apostolus ille, qui Alphaei dicitur

([51]) v. I. l. p. 647 et 648.

([52]) v. Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3.

([53]) Opp. T. II. p. 1007.

filius, idemque primus Hierosolymitanorum episcopus, a Paulo Gal. I, 19. commemoratus. Quod si ita est, optime perspicitur, quamobrem noster e fratre, quippe inter omnes Christianos celeberrimo, commendationem sibi quaesiverit. Sed de his statim plura videbimus. — Jam igitur nil amplius impedit, quo minus epistolae auctorem hujus Judae, *ἀδελφȣ͂ τȣ͂ κυρίȣ*, apud Matth. XIII, 55. commemorati, personam agere *potuisse* credamus. Sed his non contenti, nunc etiam illum nullas alias partes, nisi hujus Judae, sibi revera sumsisse, ad summam probabilitatem perducere studebimus. Judas enim, cujus personam noster suscepit, cum optimo jure in N. T. exspectetur; neque tamen in alium omnium, qui in N. T. eo nomine utuntur, auctoris descriptio cadere possit, nisi in Judam *τὸν ἀδελφὸν τȣ͂ κυρίȣ*, cum deinceps ei rei, hunc epistolae scriptorem esse, nihil adversetur; contra in utroque conveniat, non modo quod noster sibi non tribuerit apostoli dignitatem, quae neque *τῷ ἀδελφῷ τȣ͂ κυρίȣ* erat; sed uterque etiam fratre Jacobo gloriari possint: cum denique ex Act. App. I, 14. constet, *τȣ̀ς ἀδελφȣ̀ς τȣ͂ κυρίȣ*, certe post Jesu mortem reditumque in vitam, ad fidem ei habendam conversos esse, atque tandem e Pauli verbis ([54]) sine ulla dubitatione pateat, illos *ἀδελφȣ̀ς*, in quibus erat Judas, aeque atque apostolos in numero fuisse doctorum religionis Christianae: prorsus non amplius dubitandum censeo, quin epistolae auctor

([54]) 1. Cor. IX, 5.: *μὴ ȣ̓κ ἔχομεν ἐξȣσίαν, ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόςολοι καὶ οἱ ἀδελφοὶ τȣ͂ κυρίȣ.*

aut fuerit unus idemque cum Juda τῷ ἀδελφῷ, aut certe hunc ipsum se esse finxerit.

Quibus hoc modo explanatis, operae jam est pretium, ut de Juda ejusque fratre Jacobo, τοῖς ἀδελφοῖς τȣ͂ κυρίȣ, paulo accuratius disseramus, ac praecipue, quid tandem vocabulum ἀδελφὸς sibi velit, luculentius, si fieri possit, exponamus. Etenim *alii* quatuor illos ἀδελφȣ̀ς, ideoque Jacobum quoque et Judam, fuisse credunt *fratres* Christi *uterinos* ([55]), ita ut Jacobum τὸν ἀδελφὸν ab apostolo, Alphaei filio, distinguant; *alii* contra utrumque censent esse eundem, ut quatuor illi sint filii Alphaei et Christi *consobrini*.

Argumenta, quibus prioris sententiae defensores utuntur, fere haec sunt. „*Primum* plura N. T. loca exstant, in quibus, si orationis contextus consulitur, non nisi de fratribus Christi uterinis sermo est. Ejusmodi est locus Matth. XIII, 54 – 56. (cf. Marc. VI, 3.), in quo populus, sapientiam Christi docentis admiratus, exclamat: *ȣ̓χ ȣ̔τός ἐςιν ὁ τȣ͂ τέκτονος υἱός; ȣ̓χὶ ἡ μήτηρ αὐτȣ͂ λέγεται Μαριὰμ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτȣ͂ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωσῆς, καὶ Σίμων, καὶ Ἰȣ́δας; καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτȣ͂ ȣ̓χὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσι;* Cum ita verba faciant de patre Christi *germano*, (ita certe intelligi volunt), atque de vera Christi matre: profecto etiam *οἱ ἀδελφοὶ* et *αἱ ἀδελφαὶ* de *germanis* Christi fratribus et sororibus sumendi videntur; ut Jacobum et Judam non consobrinos, sed fratres Jesu fuisse appareat."

([55]) Ita enim sine dubio scribere voluerunt viri docti, qui minus accurate de *germanis* Christi fratribus loquuntur; quia, et Josephum non fuisse Christi patrem, et vocem *germanus* de fratribus ex eodem patre oriundis tantum adhiberi, satis superque constat.

Quam tamen argumentationem alii evertere conati sunt. Pottius primum ([56]): „Vim, inquit, quae huic loco insit, adhuc augeri, si non de fratribus Christi uterinis, sed de tenuitate universae cognationis intelligatur." Sed quis non videt, tale argumentum ad consuetam vocabuli *ἀδελφὸς* significationem deserendam haudquaquam sufficere. — Alio modo Gablerus rem aggressus est: „credi non posse, asserens, Mariam praeter quinque filios tot adhuc filias habuisse, ut vox *πᾶσαι* commode adhiberi queat." — Quae Pottius contra monuit ([57]): „Verbum *πᾶσαι* eam tantum ob causam adpositum esse, ne sororum nomina diserte enuntiari opus esset," ex parte sane rem explicant; ut nos quoque, de pluribus, vel de paucis, *generaliter* loquentes, dicere solemus: *omnes*. Et modo quatuor vel quinque Mariae filias fuisse statueris, (quod a veri specie haudquaquam abhorret): Matthaeum de hisce vocabulo *πᾶσαι* uti potuisse, non amplius gravaberis fateri. Quamobrem e l. l. per se spectato omnino aliquis concludere possit: quatuor illos fuisse fratres Christi uterinos. Neque tamen, si contraria sententia possit aliunde ad liquidum perduci, Matthaeus plane adversatur: quin voce *ἀδελφος* tota Jesu affinitas indicetur.

Alius est locus Matth. XII, 46. 47. (cf. Marc. III, 31. 32. Luc. VIII, 19. 20.), ubi *ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ* Jesum quaerentes cumque eo collocuturi describuntur; in quibus de uterinis Jesu fratribus cogitari posset, quia *οἱ ἀδελφοὶ* con-

---

([56]) Proll. in ep. Jac. p. 45.

([57]) In l. l. p. 46.

junctim cum vera ejus matre nominantur, et nonnisi homines, maxime ei necessarii, eum tali modo adire potuisse videntur. Attamen hos necessarios fuisse nullos alios nisi fratres Christi uterinos, necesse non est statuere. Contra modo graviores exstent causae, quibus in aliam partem abducamur: nulla loco illi apud Matthaeum XII. insunt, quae, quin etiam de consobrinis cogitemus, impediant.

Tandem provocant ad Joh. VII, 2-4., ubi *οἱ ἀδελφοὶ τȣ̃ κυρίȣ* admonuisse eum narrantur, ut, gloriae nanciscendae causa, Hierosolyma proficisceretur. Quae quidem tantum a fratribus, gloriam Jesu invidiose contemplantibus, exspectanda esse contendit Herderus ([58]). — Ut vero idem de consobrinis Christi traderetur, modo de his aliunde constet, fieri potuisse, satis superque Pottius ostendit ([59]). — Itaque locis hucusque eo consilio allatis, ut Jesu fratres uterini fuisse probarentur, non luculenter, quod volunt, efficitur.

Iidem igitur sibi ostendere proposuerunt: Mariae praeter Jesum plures revera liberos fuisse; primum quia a Matthaeo I, 25. verbis: *ȣ̓κ ἐγίνωσκεν* (sc. *Ἰωσήφ*) *αὐτὴν* (sc. *Μαριάμ*), *ἕως ȣ̃ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον*, et Jesus filius Mariae *primogenitus* nominetur, (quod plures ejus liberos post Jesum natos innuat); et Josephus usum conjugalem cum Maria *ante* Jesum natum non iniisse asseratur, unde pateat, hoc *post* Jesum natum factum esse.

([58]) In l. l. p. 6.

([59]) In l. l. p. 44. 45.

Sed ante omnia quaeritur, quo consilio Matthaeus talia scripserit. Tum vero sine dubio apparet, illum, Jesum non Josephi filium fuisse, sed miraculoso quodam modo e Maria genitum, iterum iterumque affirmare voluisse (cf. v. 18 – 23). Quare scriptor ea, quae postea facta sunt, plane non curavit; id tantum asseruit, *ante* Jesum natum Josephum cum Maria rem non habuisse. Quapropter verba *ἕως ȣ̃* minime sunt premenda, sed ad tempus, quod Christi nativitatem antecessit, unice referenda. Neque non Pottius (p. 47.) copiosius exposuit, loquendi formulam *ἕως ȣ̃*, aeque atque Hebraeorum עד אשר, tempus futurum non semper excludere. His autem ita illustratis non est dubium, quin vocabulum quoque *πρωτότοκος* unice ad dignitatem Jesu describendam, neque ad liberos Mariae deinceps fortasse natos pertineat. Quo accedit, quod prima hujus vocabuli et propria significatio tantum involvit hominem, ante quem alius natus non est, sive deinde alii secuti sint, sive non. De qua re plura apud Pottium (p. 47.) inveniuntur. — Ex hoc igitur loco certe concludi non potest, Mariae praeter Jesum aliam adhuc sobolem fuisse. — Idem evincere studuerunt e verbis Christi Matth. XIII, 57. obviis: *ȣ̓κ ἔςι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτȣ̃, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτȣ̃*; quibus ipse familiam sibi tribuisse videtur. — Attamen hic locus pertinet ad genus adagiorum, quo Jesus de quolibet propheta in universum dixit, non vero addidit, quo sensu sive angustiore sive latiore idem ad se ipsum spectaret. Neque deinde magis latet, vocem *οἰκία*, ut Hebraeorum בַּיִת et Latinorum *domus*, familiam in universum, neque solum *domesticam* significare; ita ut vocabulum

illud non modo fratres, sed eodem jure consobrinos et in universum affines amplecti possit. — Itaque ex utroque loco necesse non est, ut, Mariam plures liberos genuisse, statuamus. — Quod etiam refelli videtur loco Joh. XIX, 26. 27., in quo memoriae traditum legimus, Jesum morientem matrem alendam et sustentandam tradidisse Johanni, apostolo ipsi dilectissimo, qui illam in domum suam reciperet; quod, si plures Mariae filii filiaeve fuissent, vix fieri potuit, quidquid demum viri docti de intimo Jesu in Johannem amore praedicent. — Hucusque igitur probatum non est, loco Matth. XIII, 55. de fratribus Christi uterinis necessario esse cogitandum. Quod quidem non magis efficitur alio, quod protulerunt, argumento: nimirum „τὲς ἀδελφὲς τȣ κυρίȣ ab apostolis Jesu et discipulis saepius distingui. Nam cum Joh. VII, 3-10. *οἱ ἀδελφοὶ* tales dicantur, qui Christo fidem non haberent, Jacobus autem, Alphaei filius, tum temporis inter apostolos versaretur: eum *τοῖς ἀδελφοῖς* adnumerandum non esse, intelligi." — At quis, quaeso, contendet, Johannis verba: *ὀδὲ γὰρ οἱ ἀδελφοὶ αὐτȣ ἐπίςευον εἰς αὐτὸν*, ad unum omnes *ἀδελφὲς Χριςȣ* includere? Contra Johannem iisdem verbis uti potuisse, si vel unus *τῶν ἀδελφῶν* apostolus esset, neminem fugit. Et haec quidem sententia tum demum evertetur, si in locis supra laudatis de fratribus Christi uterinis tantum cogitari posse, antea probatum fuerit, quod factum non est. — Eodem plane modo res se habet alio loco Matth. XII, 46-50. (cf. Marc. III, 31-35. et Luc. VIII, 19-21.), ubi, licet *οἱ ἀδελφοὶ*, fidem non habentes, a *τοῖς μαθηταῖς*, ergo etiam ab apostolis excludantur: tamen quare hoc de omnibus *ἀδελ-*

φοῖς dicamus, justa deest causa. — Quare duobus his locis id tantum efficitur, *illos* ἀδελφὲς, qui Jesu fidem denegabant, ab apostolis Christi et discipulis sejungendos esse. Cum vero Jacobus, Alphaei filius, ad istos ἀπίςες non pertineret: de eo hac via nil ad liquidum redigitur.

Porro ut demonstrent, Jacobum apostolum τοῖς ἀδελφοῖς non accensendum esse, urgent: „illum nullibi locorum N. T. ἀδελφὸν τε̃ κυρίε nominatum esse, quod jure tamen exspectandum." — Sed primum jam a Pottio optime observatum est, (p. 48.), in apostolorum catalogo apostolos a fratribus cognominatos fuisse *germanos* horum fratres. Quodsi vero Jacobum, Alphaei filium, fuisse consobrinum Jesu, non fratrem germanum, aliunde apparuerit: facile perspici, cur in recensione apostolorum ἀδελφὸς Ἰησε̃ non vocaretur: ne scilicet ex multiplici usu vocabuli ἀδελφὸς existeret ambiguitas. — Quid? quod illa argumentatio plane evanescet, modo Pauli verba Gal. I, 19. paulo accuratius perlustraveris. Ibi enim legitur: ἕτερον δὲ τῶν ἀποςόλων ὀκ εἶδον, εἰ μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τε̃ κυρίε. Paulum enim, cum dicit se alium apostolorum non vidisse, nisi Jacobum τὸν ἀδελφὸν, de Alphaei filio locutum esse, ideoque hunc consobrinum Christi fuisse, vix est quod dubitemus. Quidquid enim attulerint, qui contrariae sententiae favent, ut ostenderent, verba εἰ μὴ saepe etiam exclusive et adversative (ut cum grammaticis loquar), usurpari: totus tamen locus, verborumque cum praecedentibus conjunctio (Paulus, sese a reliquis *apostolis* non didicisse religionem Christianam, ostendere voluit), talibus illorum artificiis tam aperte adversatur, ut, quomodo viri

ceteroqui acutissimi, Paulus et Dahlius, aliter sentire potuerint, nisi opinionibus suis praejudicatis capti, vix intelligatur.

Tandem ad veterum de hac re testimonia confugiunt, et primum quidem ad ea, quae Josephus memoriae tradidit ([60]): *ὁ Ἄνανος --- καθίζει συνέδριον κριτῶν· καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησȣ͂ τȣ͂ λεγομένȣ Χριςȣ͂, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καὶ τινας ἑτέρȣς, --- παρέδωκε λευσθησομένȣς*, i. e. „Ananus Jacobum, *Jesu ἀδελφὸν*, in judicium raptum, lapidandum tradidit." — Sed cum Jacobus, Alphaei filius, apud Paulum nomen *ἀδελφȣ͂ τȣ͂ κυρίȣ* obtineat: cur non apud Josephum eodem nomine insigniri possit, nequaquam apparet. Denique locum laudant Hegesippi, apud Eusebium (H. E. II, 23.) e quo haec attulisse sufficiat: *διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποςόλων ὁ ἀδελφὸς τȣ͂ κυρίȣ Ἰάκωβος, ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων Δίκαιος.* At Hegesippo, fabulis haud raro indulgenti, exigua saepe numero fides habenda, ut ejus sententia, si constaret, ad litem dirimendam minus sit apta atque idonea. Vel ipsa hujus loci verba cum sententia, quae Jacobum Christi consobrinum habet, bene conciliari possunt. — Haec igitur fere sunt, quibus sententiam suam corroborare student ii, qui quatuor illos *ἀδελφȣ͂ς*, quorum Matth. XIII. fit mentio, fuisse fratres Christi uterinos, atque Jacobum *τὸν ἀδελφὸν* ab apostolo, Alphaei filio, plane diversum statuunt.

([60]) In antiqq. Jud. l. XX. c. 9. §. 1. ed. Havercampo. Amst. 1726.

Jam exponenda sunt argumenta, quibus usi sunt viri docti, qui quatuor illos fuisse Christi *consobrinos* censent, eamque ob rem Jacobum *τὸν ἀδελφὸν* pro uno eodemque cum Jacobo Alphaei habent. Quorum prima ratio eaque longe gravissima haec est: Apud Matthaeum XXVII, 56. (cf. Marc. XV, 40.) invenitur *Μαρία* quaedam ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ; quae in loco parallelo Joh. XIX, 25. ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς αὐτοῦ (sc. τοῦ Χριστοῦ) vocatur. Quodsi autem justa de causa infitias iri nequit, in utroque loco de *eadem* Maria agi: profecto jam sine omni dubio consequitur, Jacobum et Josem, quorum Matthaeus mentionem injecit, fuisse filios Mariae, matterterae Christi, et hujus consobrinos. — Eadem porro Maria, Jacobi mater, a Johanne (l. l.) vocatur *Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ*, uxor Clopae; ita ut Jacobus et Joses, Christi consobrini, sint filii Clopae. Jacobus autem apostolus nominatur filius Ἀλφαίου; quod quidem nomen Graecum idem est ac Hebraeorum חלפי. Hoc enuntiari potest *Chalphai*. Cum vero in similibus vocabulis adspiratio orientalis (ח) a Graecis abjiciatur, atque terminatio Graeca (ος) addatur ([61]): e חַלְפַי fit Ἀλφαι et Ἀλφαιος; quam quidem pronuntiationem sequuntur Matthaeus, Marcus et Lucas. Sed vocabulum חלפי etiam efferri potest חֲלְפַי (*Chlopa*). Cum vero τὸ ח Hebraeorum a Graecis haud raro in κ transmutetur ([62]): nomen חֲלְפַי

([61]) E. c. Hagg. I, 1. חגי a LXX vertitur Ἀγγαιος.

([62]) E. c. 2. Parall. XXX, 1. nomen פסח apud LXX. audit *Φασεκ*; Gen. XXII, 24. טבח a LXX pronuntiatur *Ταβεκ*; et חרן ab iisdem *Καῤῥα* vertitur.

Graece etiam Κλωπαι vel Κλώπας enuntiari potest; quam quidem eloquendi rationem secutus est Johannes. Quodsi res ita se habet, Graecis nominibus Ἀλφαῖος et Κλωπᾶς nonnisi unum nomen Hebraeorum redditum esse, patet. Quibus quidem ipsis refellitur Herderus, qui utrumque nomen plane diversum esse contendit. Multo tamen gravioris momenti esse videtur ejusdem viri docti objectio: „apud Lucam XXIV, 18. non minus occurrere nomen Κλεόπας; quod cum idem sit ac Κλωπᾶς Johanneum, probabile esse, Lucam non duobus diversis nominibus eundem virum appellaturum, sed perspicuitatis causa hoc fere modo dicturum fuisse: Ἀλφαῖος ὅς καὶ λέγεται Κλεόπας." — Fac tamen, Lucam duplici, hoc modo eundem virum significasse: id optimo jure facere potuit, quia utrumque non est diversum nomen, sed tantum duplex pronuntiatio ejusdem nominis. Sed etiam Κλεόπας a Κλωπᾷ apud Johannem omnino sejungendus videtur, ob diversam utriusque vocabuli formam; quia illud originem graecam prodit, quippe pro Κλεόπατρος scriptum, (ut Ἀντιπας pro Ἀντιπατρος). Quod tandem dicunt: „versionem Syrorum, aliter synonymis haud raro utentem, inter nomina Κλεόπας et Ἀλφαῖος curiosissime distinxisse": id nostram quoque sententiam quam maxime defendit, cum nos etiam Cleopam ab Alphaeo et Clopa distinguamus. — Quibus ita se habentibus, patet, Jacobum, Clopae filium, esse Jacobum apostolum, Alphaei filium, eundemque Christi consobrinum. — Quo facto restat, ut Jacobum apostolum, Alphaei filium et Christi consobrinum, revera *eum* esse defendamus, qui in N. T. ἀδελφὸς τȣ̃ κυρίȣ vocatur. Constat igitur, Jacobum,

qui a Paulo apostolus simul et ἀδελφὸς τȣ̃ κυρίȣ appellatur, alium non esse, nisi Alphaei s. Clopae filium, ita ut vocabulum ἀδελφὸς tantum *consobrini* notione adhibitum esse possit. His si addideris, Paulum in ep. ad Gal. II, 9. 12., et prima ad Cor. XV, 7.; atque Lucam in Act. XII, 17.; XV, 13.; XXI, 18. de Jacobo quodam, Hierosolymis commorante, ibique summa auctoritate florente, ita semper loqui, ut nihil addant, quibus ille accuratius describatur, quasi alius tum Jacobus non vixerit: vix adhuc dubitari poterit, quin de Jacobo apostolo, Alphaei filio, in omnibus hisce locis agatur. Quod mirifice etiam confirmabitur, si locum Gal. I, 19. cum Gal. II, 9. 12. diligentius contuleris. Quo facto, in utroque loco nonnisi de uno Jacobo sermonem fieri, aequus quisque judex concedet. Tum vero patet, Jacobum, Alphaei filium, episcopum quoque Hierosolymitanum fuisse. His autem concessis, non solum omnis justa causa deest iis, qui Jacobum, ἀδελφὸν τȣ̃ κυρίȣ a Matthaeo (XIII, 55.) vocatum, fuisse uterinum Jesu fratrem, et a Jacobo, Gal. I, 19. commemorato, distinguendum putant; sed etiam eo, quod Jacobo, Matth. XIII. laudato, et Jacobo, Christi consobrino, est frater nomine Josis: utrumque esse unum eundemque virum, ad summam probabilitatem perducitur, quia, duabus sororibus binos filios fuisse, iisdem nominibus insignes, vix credibile.

Quo pacto non modo Storrii sententia ([63]) refutatur, qui censuit: „Jacobum, Alphaei filium, esse quidem eundem, qui Gal. I, 19. ἀδελφὸς τȣ̃

([63]) Dissert. in ep. Jacobi. Tub. 1784.

κυρίȣ vocetur, nihilominus tamen diversum ab illo Jacobo, qui Matth. XIII, 55. ἀδελφὸς Ἰησȣ̃ appelletur; sed luculentur etiam expositum est, Jacobum Alphaei esse ipsum Jacobum τὸν ἀδελφὸν (Matth. XIII.); ita ut Maria, matertera Jesu, sit mater quatuor illorum ἀδελφῶν τȣ̃ κυρίȣ, qui ergo ad unum omnes filii Alphaei s. Clopae, consobrini autem Jesu Christi fuerunt."

Postquam utramque sententiam aequa lance hucusque proposuimus atque defendimus: quaestio jamjam exoritur, quaenam ὑπόθεσις a nobis ut verior praeferenda sit. Pottius quidem (p. 65.) in eam secessit sententiam: „Jacobum Alphaei et Jacobum ἀδελφὸν τȣ̃ κυρίȣ (de quo Matth. XIII. legimus), esse eundem; attamen tres reliquos Jesu ἀδελφȣ̀ς, Josem scilicet, Simonem et Judam non consobrinos fuisse, sed fratres Christi uterinos." — Quod mirum omnino videri debet, cum hoc modo non solum tota lis magis adhuc perturbetur implicatiorque reddatur; sed etiam vox ἀδελφὸς uno loco de consobrino simul et de fratribus uterinis accipiatur. Nos igitur, rationibus pro utraque sententia certantibus accurate inter se comparatis, primum videmus, eos, qui inter utrumque Jacobum distinguunt, pluribus se difficultatibus implicare; quia, dum plures Mariae praeter Jesum filios tribuunt, et contra Johannis verba (XIX, 26. 27.) pugnare videntur; et nulla urgente necessitate, imo contra omnem verisimilitudinem, homonymorum numerum augent, Jesu nempe matri et hujus sorori binos filios, Jacobum et Josem, neque minus Alphaeo filium Jacobum adscribentes; tum denique verba Paulina Gal. I, 19. contra justas interpretandi leges a simplici sententia, detorquere coacti sunt. Contra poste-

rioris sententiae defensores via recta et plana ingressos videmus atque omnibus N. T. locis optime convenientes. Loci enim, quos adversarii de fratribus uterinis interpretantur, ut talem interpretationem necessario postulent, tantum abest, ut multo magis e supra dictis appareat, eosdem optime de consobrinis intelligi posse. Quo facto omnia vel planiora fiunt atque simpliciora. — Si vero in probandi vim, utrisque argumentis propriam, mentem injeceris, non fugiet: illos, qui fratres uterinos defendunt, minime probasse, locos, de ἀδελφοῖς τȣ̃ κυρίȣ agentes, de consobrinis intelligi non posse, cujus tamen rei maxime eorum intererat; eos autem, qui quatuor ἀδελφȣ̀ς esse filios Alphaei ducunt, hoc tam evidenter evicisse, ut eorum ratiocinatio, nisi omnibus probabilitatis legibus repudiatis, evitari atque everti nequeat. Quae cum ita comparata sint: equidem, Jacobum, Alphaei filium, apostolum, et Jacobum, τὸν ἀδελφὸν τȣ̃ κυρίȣ (Matth. XIII.) non diversum, sed quatuor illos fuisse Alphaei filios, non temere mihi sumere videor. — Voluit igitur epistolae auctor haberi filius Clopae s. Alphaei et Mariae, materterae Jesu, ergo hujus quoque consobrinus; quare, cur se ἀδελφὸν Jesu non vocaverit, facilius intelligitur. Fuit porro non apostolus, sed unus τῶν ἀδελφῶν, qui, auctore Johanne (VII.), Christo viventi fidem denegabant, sed post ejus mortem et resurrectionem in melius convertebantur (Act. I, 13.). Quapropter se non apostolum, sed δȣ̃λον Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ indicavit; quod quidem nomen, si ad cognationem nostro cum Jesu intercedentem respexeris, sane scriptoris modestiam declarabit. Fuit tandem frater Jacobi, apostoli et Hierosoly-

mitanae ecclesiae episcopi, inter omnes, Christi nomen profitentes, summa gloria et auctoritate florentis. Jam igitur perspicitur, quomodo Judas, qui ipse non erat apostolus, e fratris celeberrimi nomine fidem sibi et commendationem apud lectores quaerere posset.

CAPUT SECUNDUM,

in quo recensentur argumenta interna, contra genuinam epistolae originem in medium prolata.

Haec fere sunt, quae de Judae persona pro veris quodammodo certisque statuere licet. Et sufficiunt ad instituendam nunc de αὐϑεντίᾳ hujus epistolae quaestionem; in qua, cum res ita comparata sit, ut diximus, nobis porro investigandum erit: „utrum litterae nostrae a Juda quodam, ipso quidem non apostolo, sed apostolorum aetate doctrinam Christianam profitente, Judaeo et celebrioris Jacobi fratre vere proficiscantur, an potius falsario cuidam fictasque Judae partes agenti, adscribendae sint." Quaestione autem hoc modo definita, tantum abest, ut argumentis, quae contra epistolam nostram, tanquam ab *apostolo* Juda profectam, a Luthero, centuriarum Magdeburgensium auctoribus, Michaële, Bergero, Dahlio aliisque prolata sunt, vera genuinaque illius origo impugnata atque eversa sit, ut hi etiam omnes non probaverint nisi id, quod per se apparet: epistolam non potuisse oriri a viro, cujus nomine ipsa haudquaquam inscripta est. Quod

Dahlius etiam agnovit (l. l. p. 83.); qui quidem, postquam in antecedentibus inter auctorem, quem epistola ipsa profitetur, et apostolum, qui scriptor plerumque putatur, minus accurate distinxerat: tandem cum Michaële, Herdero, Eichhornio consensit in eo, quod, litteras sibi ipsas *apostolum* auctorem vindicare, negavit.

1) Primum igitur possit aliquis, epistolae αὐθεντίαν impugnaturus, dicere: „modo historica, quae in his litteris forte occurrunt, accuratius inspexeris, te in his neque indicia aut temporis et loci, quo datae sint, aut lectorum, ad quos primum perscriptae; neque ullam aliorum hominum, scriptori simul et lectoribus cognitorum, mentionem; neque, (ut fieri solet), fortuito injectam rerum memoriam; neque in fine epistolae consuetam salutationem inventurum esse. Quapropter non deesse justam causam suspicandi, quemdam recentioris aetatis auctorem, qui personam fictam induisset, illa omnia partim ignorantem praeteriisse; partim, ne fraus detegeretur, optimo consilio omisisse. Etenim cogitari non posse, Judam, modo is esset auctor, quaecunque ad certum tempus et locum, certosque homines tum viventes et res eo tempore factas pertinerent, eum in modum silentio praetermisisse, ut de iis per totam epistolam ne verbum quidem offendatur." —

Etiamsi vero, non ita multa, quae certum quoddam tempus certosque homines spectent, in litteris nostris obvia esse, quam maxime concedamus; eo tamen, quod inde confici volunt, nullo modo consequitur. Quid enim? si quis contra ex hoc ipso genuinam epistolae originem ita demonstrare suscipiat, ut, impostorem quemlibet,

scripti sui commendandi suspicionisque amovendae causa, talia summa arte et diligentia interserturum fuisse, ostendat. Cum autem in epistola Judae vestigia ejus rei nulla inveniantur: vel hoc ipsum ad mitiorem de nostro sententiam ferendam perducere. Praeterea in prima Johannis epistola pauciora adhuc sunt, quae ad certas personas et tempora pertinere dici possunt; at illius tamen αὐθεντία, si recentiorum nonnulla dubia sine justa causa mota excipias, firmissima est et nullo modo labefactata. — Sed quisquis, epistolae argumentum accuratius perpendens et justam simul primorum lectorum rationem habens, in illo nihil desiderabit. Quod ad temporis enim definitionem spectat: ex v. 17. et 18. (cf. v. 4.) constat, epistolam ad apostolorum aequales datam; cujus rei fides auctori habenda, donec aliunde mendax probatus erit. Deinde de loco, ubi Judas litteras scribens commoraretur, nil legi, negari quidem non potest. Sed causam non video, cur hoc disertis verbis scribere debuisset lectoribus, qui aut ipsi id non ignorarent, simul atque Judae nomen audiissent, aut certe ab homine, litteras ad ipsos perferente, comperirent. Eadem sine dubio causa statuenda est, cur et in *apostolorum* epistolis locum, unde datae sint, non semper traditum inveniamus. Neque plus eo efficitur, quod in epistolae exordio primos lectores nominatim scriptos non legimus. Is enim, qui litteras perferebat, quo perferendae essent, sciebat. Idem praeterea non solum in prima epistola Johannea, sed verisimiliter etiam, in ep. Pauli ad Ephesios vocata ([64])

([64]) Ubi verba: ἐν Ἐφέσῳ a viris criticis, jure, ut videtur, expelluntur.

accidit, sed causa etiam hujus omissionis praesertim in nostra epistola facile perspicietur, siquidem — cum viris doctis, qui, Judam eosdem, quos Petrus in secunda sua epistola, Christianos in animo habuisse, credunt, — eam non ad unum, sed ad plures simul Christianorum coetus datam esse statueris. — Auctorem vero de certis quibusdam hominibus cogitasse, quorum conditionem optime cognitam haberet, tota sane epistola testis est ([65]). — Nostrum autem pravos istos homines, quos impugnavit suisque lectoribus maxime detestandos descripsit, non nominatim introduxisse et ita significasse, ut nos satis accurate de iis edoceamur, quis mirabitur, qui perpenderit, istos, non solum, prouti vix ortos, certum nomen nondum habuisse, sed lectoribus quoque per se cognitos fuisse, ut ampla eorum descriptione minime indigerent; nostram vero antiquitatis notitiam minus esse claram atque apertam quam ut *omnia* explicare possimus. At qui ipsas litteras, et praesertim v. 4. 8. 10 – 13. 16. 19., diligentius perscrutatus fuerit, sine dubio mecum conveniet, scriptorem contra certos quosdam impios, et hos in universum certe optime sibi notos, pugnasse. — Si tandem salutationes, singulis Christianis, proprio nomine appellatis, dicendae in epistolae fine adscriptae non sunt: id in tanta epistolae, ad plures ecclesias datae, brevitate neminem offendere potest, praesertim cum Judas, ut videtur, non visu conspectuve, sed fratris tantum nomine et commendatione notus esset lectoribus. Sed vel in Pauli epistolis ad Gal., Eph., secunda ad Thess., prima ad Tim., in Jacobi et

---

([65]) v. 2 – 4. 12. 17. 18. 22. 23.

prima Johannea salutationes desunt. — Quid? quod omnium curiosissime impostor talia servasset, et fictas salutationes fictis personis dicendas apposuisset, ut remota suspicione, ab ejusmodi defectu oriunda, scripto commendationem pararet. Quamobrem tantum abest, ut harum notionum defectus auctorem fraudis arguat, ut, si aliae contra eum rationes afferri nequeant, fidem multo magis ejusque integritatem defendat. —

Sed longe gravius, ut videtur, argumentum, epistolae originis a Juda derivatae impugnandae causa, affert Dahlius. Dicit enim (l. l. p. 44. 45. 82. 85.): Ipsum Judam v. 17. et 18. posteriorem, qua degebat, aetatem luculenter prodidisse, atque ita scripsisse, ut se ab apostolis, tanquam juniorem scriptorem, ipse videatur distinxisse: cum ipsius demum tempore evenerint, quae apostoli praedixissent. Quare epistolam *maturiori* aevo Christiano scriptam esse pateret. Quam objectionem si quis legerit, is, ut *apostolorum aequalis* epistolam scripserit, fieri potuisse, Dahlium negare, absque dubio sibi persuasum habebit. Attamen vehementer erraverit. Vir enim doctus hoc loco obscurius scripsisse videtur, ut suam, de origine epistolae nostrae ex posteriore Petrina derivanda, sententiam defendere posset (p. 86. 87.), secundum quam „presbyter quidam Judas Petri posteriorem, ad ipsum fortasse perlatam, ne illico in publicum prodiret, cohibuit, atque suum scriptum, ex illa haustum, multiplici via divulgandum curavit." De hac igitur conjectura infra videbimus. Id vero patet, nos, ipsam sequentes, Judam non aequalem Petri fuisse nullo modo statuere posse; aliter enim Petri litterae ad eum non potuerunt perferri. Quare Dahlium, de Juda

apostolis juniore et posteriore aetate degente scribentem, sibi minus constare, neminem fugit. Quod praeterea Judas v. 17. 18. apostolis se non adnumeravit, inde non consequitur, eum aetate apostolorum non vixisse, cum multi alii, qui apostoli non erant, religionis Christianae doctores simul viverent. Deinde noster omnino nonnulla, ab apostolis ante dicta, et tum temporis, cum scribebat, eventu comprobata, lectoribus in animum revocavit. Sed exinde conficitur nonnisi id, eum aliquamdiu post litteras dedisse, quam apostoli illa docuerant. Judam vero juniorem fuisse illis, tantum abest ut sequatur, ut eum vel provectiorem annis et tamen apostolicorum dictorum memoriam injicientem credere liceat. Neque de apostolis tum jamjam mortuis uspiam sermo. Tandem de tota hac re videnda sunt, quae supra diximus; e quibus licet, nostrum aliquanto post, quam apostoli talia praedixerant, scripsisse, pateat, tamen eum ad Christianos, apostolorum aequales, litteras dedisse, et hanc ob rem ipsum aevo apostolico vixisse, non minus elucet. Quominus igitur epistolam a nostro Juda profectam esse censeamus, hic certe locus non adversatur.

Aliud argumentum contra Judam, epistolae scriptorem, Dahlius inde repetiit, „quod ille, auctoritatis suae apud lectores augendae causa, se neque expressis verbis *τȣ̃ κυϱίȣ ἀδελφὸν* nominaverit, neque aliis indiciis talem exhibuerit, qui arctiori propinquitatis et disciplinae nexu Servatori conjunctus fuerit." — At primum quid Dahlius verbis *disciplinae nexus* sibi voluerit, id equidem haud perspicio. Licet enim ponamus, Judam Jesu adhuc viventis sectatorem fuisse atque discipulum: tamen ei in epistola hoc dicen-

dum, aut verba ex Christi ore percepta referenda fuisse, statuamus necesse non est. Imo cum id non anxie fecerit, integritas auctoris et fides augeri videtur. — Cum autem ex supra dictis vix dubitari queat, quin noster τοῖς ἀδελφοῖς, qui Christo, dum in terra degebat, fidem non habebant, accensendus sit: quo jure in ejus epistola nonnulla, ad hanc necessitudinem, qua cum Jesu vixit, aut, ut Dahlii utar verbis, ad singularem, qui inter utrosque intercesserit disciplinae nexum, (qui plane nullus fuit), spectantia quaerere possimus, non video. Quamobrem merito contenti esse debemus eo, quod se doctorem religionis Christianae aperte professus est. — Quod vero gravioris momenti esse videtur: „per totam epistolam plane nullum intercedentis Judae cum Christo propinquitatis indicium obvenire;" haud negamus. Qua tamen e re ut cum Dahlio aliquam contra αὐθεντίαν epistolae objectionem derivemus, tantum absumus, ut id, cum Juda scriptore eodemque Christi consobrino optime etiam conciliare suscipiamus. Nam cur non expressis verbis se ἀδελφὸν τῦ κυρίυ nominaverit, multiplici modo exponi potest atque explicari. Jam primum aliquid valet Clementis ratio e modestia Judae et religione repetita, de qua supra diximus. Quae quidem multo magis valet de consobrino, (quem epistolae auctorem nobiscum statuit Dahlius), quam de fratre Jesu uterino, de quo Clemens eam adhibuit. — Verum enim vero omnium minime Dahlius hanc omissionem Judae vitio vertere debuit; quippe qui, cum fratres Christi uterinos atque inter eos quoque alium Judam cum alio fratre Jacobo statuat, alicui objicienti: „Judam fortasse eam ob causam se Christi

ἀδελφὸν non vocasse, ne cum alio Juda, fratre Jesu uterino, a lectoribus confunderetur," quae respondeat, non habet. — At, inquis, tum commendationis causa certe ἀδελφὸν τȣ̃ κυρίȣ καὶ Ἰακώβȣ se appellare debuisset! Sed quomodo, quaeso, potuit uni vocabulo eodem loco duplicem sensum subjicere? — Praeterea fieri non potuit, quin fratris, episcopi Hierosolymitani, et summa tum auctoritate excellentis, nomen maximam, quae a rebus quidem externis speranda erat, commendationem ipsi apud lectores et faciles aures pararet, ut in hunc finem aliis non indigeret; cum praesertim, si unus fuit τῶν ἀδελφῶν Jesu viventi fidem denegantium, additamentum ἀδελφὸς Χριςȣ̃ ad ipsum lectoribus commendandum forsitan non admodum inserviret. — Quid? quod Dahlius, hac contra epistolam objectione proponenda, sibi ipsi minus constitit? Quamquam enim in epistolam Jacobi, quem Judae nostri fratrem censet, eadem profecto cadit accusatio, quod auctor κυρίȣ ἀδελφὸν se non vocavit: has tamen litteras pro genuinis et authenticis accipere, idem gravatus non est. Quod autem de Jacobi scripto valet, idem cur de fratris epistola valere nequeat, equidem causam non perspicio. — Quod porro dixit: „nostrum neque aliis indiciis se exhibuisse talem, qui arctiori propinquitatis nexu Servatori conjunctus fuerit": id verum omnino est; atque non modo in parvula et, ut videtur, festinanter scripta (v. 3.) epistola occasio, talia interserendi, nulla, certe non crebra, datur; sed etiam eo ipso, quod Judas ejusmodi additamenta non necessaria esse neque iis se indigentem duxit, genuina litterarum origo confirmatur, et scriptor ejus vir probus et a malis artificiis alienissimus declaratur. —

Denique talium indiciorum absentia non minus cadit in epistolam Jacobi, cujus tamen αὐϑεντία hac re Dahlio labefactata non est. — Addere lubet, nonnullos viros doctos, fortasse sententia Clementis supra laudata adductos, voce δȣλὸς Χρισȣ̃, quae in utriusque epistolae fronte legitur, affinitatem quandam innui ambobus cum Christo intercedentem, non absque omni probabilitatis specie suspicatos esse. Qui quidem si recte viderunt: hoc quoque praeter ea, quae in medium protulimus, ad Dahlii argumentum refellendum haud ineptum est. Quod tamen urgere nolumus, quia Judam, consobrinum Christi, licet de hac propinquitate ne verbum quidem fecerit, tamen epistolae auctorem haberi posse, satis ostendisse videmur.

Neque minus Dahlius e *dogmatico*, quod dicunt, litterarum argumento dubia in Judam, prouti auctorem, repetere conatus est. Idem fecit quidem Michaëlis, sed is nonnisi *apostolicam* epistolae originem impugnans. Dahlius vero sine ambagibus (p. 84. cf. p. 81.): „Conjiciendum esse, inquit, Christi consobrinum eumque fratrem germanum illius Jacobi, qui in epp. catholicarum praestantissima religionis Christianae decreta et praecepta, nulla superstitione Judaica admixta, pure luculenteque exposuit, non talia traditurum, qualia v. 9. 14. 15. et 23. epistolae insunt. „Quare probabile esse, epistolae sub Judae nomine superstitis auctorem, quippe mythorum vanarumque opinionum et traditionum Judaeorum studiosissimum, posteriore demum tempore vixisse." — Hic primum quidem adversus Dahlium monendum mihi videtur, quod Judas consobrinus Christi fuerit et frater Jacobi, tam parum id referre ad

rem, ut ex eo potius ipso vestigia, quae Judaicae forte doctrinae in ep. exstant, vel meliorem explicationem facilioremque interpretationem trahant atque nanciscantur. Quamquam enim Christi consobrinus erat, fuit tamen manebatque Judaeus, et is quidem non solum non apostolus, sed fortasse ne viventis quidem Jesu discipulus. Quare etiamsi frater ejus vel praestantissimas litteras scripserit, — ad quam Dahlii sententiam evertendam neque locum Jac. V, 17. 18. premere volumus, neque proferre, quod tamen ex Actis Apost. et epp. Pauli constat: Jacobum summo studio et contentione pro retinendis Judaeorum ritibus sacris pugnasse: — tamen ne injuste agant in Judam, cavendum est iis, qui eum, annis jam provectiorem, omnem, juvenili aetate paratum, animi cultum et doctrinam vitare et quasi abnegare oportuisse contendunt. Quis vero negabit, apud omnes tum temporis Judaeos in usu fuisse, ut antiquam historiam minime talem, qualis in V. T. existit, sumerent, sed contra eam narrationibus ore propagatis mixtam et ornatam in scholis suis traderent atque docerent. — Porro haud semel a viris doctis notatum est, argumenta haec dogmatica in quaestionibus criticis valde incerta esse atque hac de causa nonnisi caute adhibenda. Ut enim vis iis concilietur, non temporum solum populorumque ratio habenda; sed opus etiam est accuratissima scriptoris, atque ingenii ejus animique cultus notitia; quam quidem post tantum temporis spatium eum in modum acquirere vix possumus, ut virum quemdam hoc vel illud cogitasse et scripsisse negare liceat.

Sed agedum jam ad singula epistolae loca, quae Judam, Christi consobrinum et fratrem ce-

leberrimi Jacobi scribere non potuisse affirmat Dahlius. Hujus igitur de loco v. 9. verba haec sunt: „Judas commentum de altercatione, inter angelum Michaëlem et Satanam exorta, cui Petrus nonnisi leviter alludit, expressis verbis in medium profert." — Sane confitendum est, nostrum hic introducere Michaëlem archangelum cum diabolo de Mosis corpore litigantem, illi tamen non maledicentem, sed Deo judicium relinquentem. Nolumus etiam dirimere, utrum Judas haec, Origine auctore (in l. III. de princip. c. 2.) e scripto Graeco, *'Ανάληψις Μωσέως* inscripto, an, ut Michaëli placet, (Introduct. §. 259.) e libro Hebraico, sub nomine פטירת משה (solutio Mosis) qui adhuc exstat, an, quod vult Herderus (l. l. p. 81. sqq.) e Zend-Avesta hauserit. Quae tamen variarum sententiarum dissensio ita mihi tolli videtur atque conciliari, ut ex iis temporibus, ubi Judaeorum de angelis et daemonibus doctrina demum exculta et additamentis, e philosophia orientali petitis, exornata est, illam quoque de Michaële et diabolo narrationem compositam, atque deinceps scriptis et ore ad Judae usque aetatem inter Judaeos propagatam esse, statuamus. Id certe ex ipso nostro loco constat, hanc litem fuisse tum temporis omnibus notissimam. — Varia Judam eam ob rem defendendi conamina leguntur apud Michaëlem, et ea quidem sic declarata, ut simul ab eodem viro docto quam sint inania, uberrime sit demonstratum. Mihi quidem pro Juda, non solum ab omni vanae superstitionis suspicione vindicando, sed vel propter hanc rem laude ornando, rationes afferendae videntur fere hae. Primum e loci cum antecedentibus et in sequentibus conjunctione abunde patet, (quod vel

Michaëlis et Dahlius fieri potuisse non negant), Judam litem hanc non quasi rem factam certisque historiae testimoniis confirmatam considerasse; sed totam narrationem nonnisi docendi et doctrinae, quam proposuerat, illustrandae, lectorumque animis altius imprimendae causa in medium protulisse. Rem omnino hoc modo se habere, nemo non intelliget, qui perpenderit, nostrum v. 8. pessimos istos homines, falsa ipsorum doctrina Christianorum coetus vastaturos, descripsisse, videlicet, omnia, quae reliquis hominibus sancta et augusta habentur, contemnentes, imo angelis, virtute et sapientia praestantioribus, quos ne cognoscerent quidem), irridentes et maledicentes; quos quidem pessime et imprudenter id facere (v. 9.), quam maxime ex eo apparere, quod ne summus quidem et optimus angelorum diabolum secum litigantem damnaverit, licet jure et potestate id faciendi instructus, sed Deo judicium de isto ferendum modeste permiserit. Quo exemplo, quod lectores et bene cognitum, et de cujus etiam veritate persuasissimum sibi habebant, melius et aptius ad movendum animumque lectorum horrore in istos irrisores implendum, quid afferri potuisset, equidem non video. — Deinde vero Herderus recte vidit, hujus narrationis originem et fundamentum in V. T. inveniri. Videlicet Deut. XXXIV, 6. sine ambagibus legitur: „Ipsum Jehovam sepeliisse Mosen in regione Moabitarum, neque unquam aliquem hominum sepulturam comperisse." Quem locum Judaeos postea viventes ita explicasse, ut Deum angelorum ope in sepeliendo Mose usum fuisse narrarent, vix in dubium potest vocari, cum, illos in legibus a Mose sancitis eodem plane modo angelos Deo ad-

didisse, in Pentateucho non commemoratos, vel e Pauli epistolis satis constet superque. His concessis addas velim, — quod Herderus (p. 81. 83.) ad summam perducere probabilitatem studuit, etiamque per se credibile est, cum alio modo locus Judae explicari nequeat, — Judaeos in exilio a Chaldaeis opinionem accepisse, daemones morientibus hominibus insistere, ut iis potirentur: tum facile aliquis potuit excogitare, angelum Michaëlem, cui Mosis sepultura a Deo curanda tradita esset, cum diabolo, qui Mosis cadaver non minus sibi vindicaret, de hoc litigasse. Atque jam perspicitur, quomodo e loco Deuteronomii sensim paulatimque talis narratio posset oriri. — Etiamsi praeterea locus Zach. III, 2., ubi Herderus eandem imaginem reperisse sibi visus est, minus accurate huc trahitur, quia ibi non angelus, sed ipse Jehova verbis: יִגְעַר יְהוָֹה בְּךָ הַשָּׂטָן (quae a LXX vertuntur: *ἐπιτιμήσαι κύριος ἐν σοὶ*); invectus est Satanam, criminantem coram angelo Dei Josuam, pontificem maximum: haec certe adversus diabolum a Juda adhibita loquendi formula Zachariae jam temporibus usitata fuisse atque inde fortasse a nostro deprompta intelligitur. — Judam vero talem narrationem, cujus origo in V. T. jam invenitur quaeque postea amplius exornata est, in auxilium vocasse, ut lectoribus doctrinam quandam magis commendaret: id illi in crimen verti non potest, neque argumentum, unde epistolam ab alio scriptam esse prodeat, haberi potest. Quid enim? quod Paulus, eodem plane modo Judaeorum narrationes secutus, angelos, in legibus a Mose propositis, partes quasdam egisse affirmat (Gal. III, 19.), de quibus in loco Ex. XIX nihil legimus. — Idem in

prima ad Cor. ep. (X, 4.) verbis: *ἀκολουθούσης πέτρας*, alludit additamentis Judaeorum, quibus Mosaicam illam de petra, e qua Israëlitae in desertis proficiscentes bibebant, narrationem exornaverant: petram scilicet Judaeos proficiscentes secutam esse. Eodem modo 2. Tim. III, 8. historiam de Janne et Jambre, magis Aegyptiacis, Mosi populum suum liberaturo resistentibus, neque eam in V. T. traditam, sed tantum ore apud Judaeos propagatam, docendi causa adhibuit. Attamen nemini hucusque in mentem venit, eam ob causam de genuina epp. Paulinarum origine dubitare. Quare Judae etiam, eidemque non apostolo, multo adhuc magis permittendus videtur usus traditionis Judaicae; nostri autem est, apud Judam non minus quam apud Paulum, hunc usum, quantum in nobis quidem est et ex justa interpretationis ratione fieri potest, ita explicare, ut horum virorum, summo nostro amore et cultu dignissimorum, auctoritas conservetur atque amplificetur. — Tandem omnium minime Dahlius tale adversus Judam, epistolae auctorem, argumentum movere debet, cum in epistolam Petro adscriptam non moverit, ad quam tamen non minus res pertinet. Nam in ep. Petri rem longe aliter se habere, qui quidem huic liti nonnisi leviter alluserit" (l. l. p. 81.): id partim falsum est, partim ad rem nil refert. Etenim secunda Petri ep. (II, 11.) eodem plane contextu ita habet: *ὅπου ἄγγελοι, ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες, οὐ φέρουσι κατ' αὐτῶν παρὰ κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν.* Patet omnino, Petrum magis in universum et generatim de eadem re loqui; habet enim *ἄγγελοι*, ubi apud Judam *Μιχαὴλ* legitur, et vocem generaliorem *δόξας*, cum Judas de diabolo loquatur.

Attamen eum de eadem plane re cogitasse, nemo negabit, qui verba ejus interpretari conatus fuerit, quae nisi ad certas quasdam narrationes, et eas lectoribus bene notas, referuntur, explicationem admittunt nullam. Quodsi igitur Petrus historias, quas in animo habebat, non, aeque ac Judas, expresse narravit: hoc profecto non omisit, quia tales narrationes pro ineptis mythis vanisque opinionibus ducebat, (tum enim ne mentionem quidem earum injecisset, ne lectorum superstitioni quasi ansam praeberet); sed omisit unam eam ob causam, quia historiam a Juda allatam et huic similes lectoribus suis non ignotas fore sperabat. Quapropter, posteriori epistolae Petrinae ideo majorem praestantiam non esse tribuendam; imo Judam eo ipso, quod certum quoddam exemplum lectorum oculis proposuerat, horum animos vehementius quam a Petro factum est, movisse, jure mihi credere videor.

Adeamus igitur alterum locum v. 14. 15. obvium, in quo Judas duris magnaque vi repletis Enochi verbis usus est, ut, Deum aliquando justum de impiis hominibus judicium habiturum esse, doceret. Unde haec sumserit Judas, utrum e libro quodam, quod in testamento Patriarcharum, apud Justinum, Irenaeum aliosque Enocho adscribitur, an ex vulgata Judaeorum traditione: ad nostram quaestionem nil refert. Eo magis huc pertinent, quae Dahlius (p. 81.) de hoc loco: „Auctor, inquit, dictum Pseudo-Enochi tanquam vaticinium afflante spiritu divino prolatum inserit." Quamobrem Judam, consobrinum Christi et fratrem Jacobi, epistolae auctorem habendum non esse censet. Quod tamen nimis festinanter mihi quidem concludere videtur vir doctus.

Fac enim, Judam voci προφητεύειν dicti afflante spiritu divino prolati notionem tribuisse: tantum tamen abest, ut locus propter argumentum nobis offensioni sit, ut vel Deus, ad judicium de impiis ferendum incedens, vix gravius, quam h. l. factum legimus, describi possit. Quae verborum vis, et omnium animos movendi, et impiorum mentem horrore implendi, certe apud primos epistolam legentes non imminuta est eo, quod forte petita sint e libro, quem nos quidem apocryphum vocare solemus; contra eo ipso augeri potuit, si forsitan Enochi liber, propter argumentum peculiare, et a Judae lectoribus, et a plurimis ejus aequalibus magni aestimaretur, quod bene scire potuit noster. Tandem non negligendum videtur, Judam non criticum egisse, sed doctorem populi parum exculti. Hoc enim si satis perpenderemus, non fieri potest, quin intelligamus, eum, non curantem dicti illius auctorem, undecunque materiam scribendi sumere potuisse, ubi aptam invenisset. Qua de causa hanc Enochi mentionem Juda, quem nos epistolae putamus esse scriptorem, haud indignam esse, jamjam libere fatendum videtur.

Restat locus v. 23. Dahlium offendens, qui nostrum criminatur (p. 81.), eum sollicite admonuisse lectores, ut vel a veste impura eorum, qui a veritate Christiana alieni essent, caverent; atque insuper addit: „talem admonitionem, quam vel insulsam dixeris, in nullo alio sacri codicis loco reperiri." — At hic profecto injustissime in epistolae auctorem egit Dahlius, cum locum ex contexta oratione divulsum, ne recte quidem interpretaretur. Judas enim, postquam v. 21. admonuit lectores, ut in amore Dei perseverarent,

pergit v. 22. et 23. eos ita excitare: καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες, μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. Itaque: „alios, inquit, istorum hominum, delectu tamen adhibito, benignius tractate, alios ἐν φόβῳ (i. e. solliciti, trepidantes, anxii) servate, eos ex incendio quasi eripientes, et vel vestimentum, vitiis contaminatum, aversantes." — Quae verba quid in hoc contextu aliud exprimere possint, nisi summam curam et diligentiam, a lectoribus adhibendam, ne in ullam vitiorum societatem venirent, equidem haud intelligo. Quodsi autem verba ita accipias, nullam certe offensionem neque ansam de Juda, epistolae scriptore, dubitandi praebent. Quid? quod etiam falsissimum est, hoc dicendi genus in scriptura sacra non amplius inveniri. Nam Zach. III, 2-4., ubi pontifex Josua *titio quasi ex incendio ereptus* vocatur, angelus Jehovae, postquam v. 4. jussit, ut Josuae sordida vestimenta detraherentur, statim post eundem hoc modo allocutus est: רְאֵה הֶעֱבַרְתִּי מֵעָלֶיךָ עֲוֹנֶךָ וְהַלְבֵּשׁ אֹתְךָ מַחֲלָצוֹת׃ i. e. „Ecce peccata tua abstuli abs te, indui te vestimentis pretiosis." — In quibus verbis quis non invenit imaginem de sordida veste petitam, qua cum peccata simul auferuntur? — Si cui autem Judae verba urgere in mentem veniat —, eum reputare velim, mitem Johannem in secunda sua ep. falsis doctoribus ne salutem quidem dicendam statuisse; quod quidem si ad verbum et stricte sumere volueris, vehementer tibi cavendum erit, ne Johannem inepti quid dicere patiaris.

His igitur ita expositis patet, per totam epistolam nulla reperiri, quae Judas, Christi conso-

brinus et Jacobi celeberrimi frater, non scripsisse putandus sit. Vel ipse Dahlius huic rationi a se prolatae non ita magnam probandi vim inesse perbene vidit. Addit enim paene mirum in modum (p. 81.): „Largior tamen, hoc argumentum, si unicum esset, quod proferretur, non satis valere ad *apostolicam* epistolae originem in dubium vocandam. At conjunctim cum ceteris argumentis videtur mihi non omni vi destitutum." — Sed cum alia, quibus vir doctus epistolam impugnavit, argumenta minus firma sint: vis profecto, quae illi postremo ipsi non inest, a reliquis non magis est derivanda. Quid? cum, ipso confitente Dahlio, ne valeat quidem ad abjudicandas litteras *apostolo:* multo adhuc minus efficiet, ut Judam, non modo non apostolum, sed ne viventis quidem Jesu discipulum, a vero epistolae scriptore jure sejungere possimus.

2) Restat rationum Dahlii, originem epistolae a nostro Juda derivandam impugnantium, una, ex similitudine, nostrae cum ep. Petrina posteriore intercedente, derivata, et ea pluribus de causis examinatione diligentiore dignissima. Nimirum Dahlius (p. 84.): „Talem, inquit, Judam, qualem auctor se descripsit, minime tali modo epistolam Petri usurpaturum; contra (66), fuisse puditurum, tam presse alius scriptoris vestigiis insistere. Poterat enim fraudis speciem praebere, aut ignominiosam ingenii imbecillitatem prodere. Certe si ex ep. Petrina non dubitasset, cogitata

(66) Haec, quae nunc sequuntur, Dahlius quidem (p. 80.) protulit de auctore, si hic fuisse apostolus statuatur. Quin vero eadem de Juda, Christi consobrino et non apostolo, dici posse crediderit, non est, quod dubitemus.

verbaque haurire, debebat id, ne aliena sibi arrogasse videretur, ipse ingenue profiteri."

Fac igitur, (quod tamen viro docto concedendum nondum putamus), nostrum conscripsisse suas litteras e Petrinis: quomodo inde efficitur, illum Judam, cujus personam auctor egit, scriptorem non habendum esse; cum vel ipse Dahlius (p. 80.) negare haud ausus sit, omnino *fieri potuisse*, ut, qui ipse *apostolus* esset, ex aliis apostoli libello alia describeret, alia, vel contrahendo vel dilatando, diffingeret. Quod autem si de *apostolo* conceditur, quanto magis de Juda, neque apostolo neque Christi discipulo, confitendum est. Quem, (si ipsi, simili data occasione, similia iis, quae in ep. Petrina pertractata invenerat, forsitan scribenda essent), cur *genuinam* (ita enim statuit Dahlius) Petri, celeberrimi apostoli, epistolam in auxilium vocare puduisse credamus, justa causa deest, praesertim si Judam, (quod fieri potuit), ipso volente Petro ac sciente ita fecisse, tibi persuadeas. Quo facto nostrum, ep. Petrina utentem, fraudis speciem praebuisse, nemo certe cum Dahlio contendet. Quae praeterea objectio locum non habet apud Judaeos, quos, morem a nostra aetate abhorrentem, apud ipsos vero satis consuetum, secutos, ex scriptis, quae inveniebant, non sensus modo et cogitationes, sed ipsissima quoque verba saepius traxisse, vel e sacro V. T. codice abunde constat, neque minus exinde sonsequitur, quod veteres ecclesiae patres de hac re ne verbum quidem fecerint. Qua causa multa hujus rei exempla proferens, omnino inutile quid facturus sim. — Quibus ita se habentibus, si adhuc cogitaveris, (quod ab Herdero, Eichhornio aliisque viris do-

ctissimis dudum observatum est atque omni dubitatione vacat), epistolam Judae prae se ferre et declarare auctorem et doctrina et ingenio pollentem, spectes sive ad materiam et inventionem, sive ad dispositionem et elocutionem: Dahlii sententiam, auctorem eo, quod Petri vestigia secutus sit, ignominiosam ingenii imbecillitatem prodere potuisse, non satis mirari possumus. Neque, si ea, quae jam diximus, tenemus, cum Dahlio consentiemus de eo, quod asseruit: Judam, ne aliena sibi arrogasse videretur, se litteras Petrinas adhibiturum esse, ingenue profiteri debuisse. Addas velim, varias cogitari posse rationes, quibus Judas adductus Petri nomen silentio praeterierit, e. c. ne Christianos religione Jesu a Paulo imbutos, et eos forsitan inter lectores versantes, offenderet; vel quia rem jam per eum, qui litteras perferebat, lectoribus narratum iri crederet. — Possit quoque aliquis dicere, Dahlio, qui Judam ex ep. Petri describentem faciat, necessario concedendum esse: nostrum v. 17. verbis: *μνήσθητε τῶν ῥημάτων τῶν προειρημένων ὑπὸ τῶν ἀποςόλων τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν*, nisi unice, certe ex parte respexisse etiam litteras Petrinas, quas igitur se legisse, eum, si non expresse et expedite, implicite tamen dixisse. — Quid? si verum est, nostrum Petri vestigiis tam presse institisse, eundemque v. 17. et 18. ex apostolorum numero se aperte exclusisse, (quod etiam Dahlius concedit): profecto consequitur, eum, cum in tota epistola, tum praesertim in eo loco, quo scelestos istos, ab apostolis praedictos, jamjam extitisse affirmat, usum fuisse *verbis Petri*. Hoc autem facto, Judam illo versu prae omnibus ac praecipue de epistola et praedictione *Petrina* dixisse

non possumus quin fateamur. Cum vero noster lectoribus in memoriam revocare nulla posset, nisi quae antea audiissent: ex hoc vel aliud efficitur non minus verum atque certum: posteriorem Petri epistolam lectoribus suis bene cognitam fuisse; ita ut Judae id tantum faciendum incumberet, ut illius argumentum denuo repeteret atque proponeret. Quo facto cum litteras Petrinas, vel ipsis lectoribus consciis, in auxilium vocasset: non erat, quod verbum tantum de hac re adderet. Tandem si quid insolens tali alius scriptoris usui et inductioni atque inusitatum inesse creditur: hoc ut, epistola nostra pro spuria declarata, minuatur, tantum abest, ut contra omnino non perspiciatur, quomodo fraudulentus quidam homo, Judae personam induens, scriptum apostolicum tam imprudenter et incaute adhibere potuerit; nisi forte istum, Petri epistolam Christianis illis nondum innotuisse, bene scientem feceris: quod tamen et omni epistolae et praesertim iis, quae v. 17. 18. occurrunt, adversatur.

Et hactenus quidem cum Dahlio ex concessis, ut dicitur, disputavimus, ut vel sic appareat, hoc postremo illius argumento contra Judam, epistolae auctorem, ex comparatione nostrae epistolae cum posteriore Petrina petito, minime, quod voluit, probari et evinci; contra Judam, etiamsi litteras Petrinas in usum atque auxilium traxisset, tamen ab omnibus, quibus, ut Dahlio, de *αὐθεντία* epistolae Petrinae constat, verum epistolae scriptorem optimo jure posse haberi. Nam qui secundam Petri spuriam censent, hos, non Judam litteras Petro adscriptas, sed harum auctorem Judae epistolam inspexisse, necesse est statuere. At de his, alia data occasione, plura videbimus.

CAPUT TERTIUM,

in quo argumenta interna, αὐθεντίαν epistolae Judae confirmantia, proponuntur.

Postquam igitur, omnes contra epistolam, prouti a Juda, viro apostolico et fratre Jacobi profectam, rationes internas, hucusque a viris doctis ac praesertim a Dahlio in medium allatas, ad id, quod sibi proposuerunt, probandum non sufficere ostendimus: statim progrediamur ad proponenda argumenta, ex ipsius epistolae argumento et indole petita, quae eam genuinam, atque a tali Juda, qualem prae se fert, vere conscriptam esse, luculenter doceant.

1) Et primum quidem inter *negativas*, quae dicuntur, rationes, epistolae γνησιότητα defendentes, prae ceteris notatu digna est ea: quod omnia argumenta ad illam impugnandam a viris doctis excogitata, eum in modum omni probandi vi destituta sint, ut suspicionis adversus auctorem motae causa justa atque ratio ne levissima quidem restet atque remaneat. Contra quicunque epistolam accuratius inspexerit: non solum illam omnibus hominum, temporum, locorumve definitio-

nibus, quibus impostor fortasse ad scriptum suum commendandum usus esset, prorsus abstinentem inveniet; sed etiam vestigia posterius innuentia tempus in ea deprehendet nulla. Quid de eo dicam, quod noster, in exemplis ultionis divinae enumerandis (v. 5–7.), praeclarum illud et novissimum submersae Judaeorum reipublicae et urbis Hierosolymorum eversae exemplum alto silentio praeteriit. Cujus quidem, ad rem aptissimi, quin memoriam hoc loco injecisset, modo post rem gestam vixisset, nemo dubitabit, qui candidum auctoris animum atque ab omni fraude et ambitione alienissimum, e totis litteris perlucentem, fide nostra valde merita dignum censuerit, quod optime viderunt Michaëlis et Eichhornius. — Praeterea nihil in epistola legitur, quod in Judam, Christi consobrinum fratremque insignis Jacobi, cadere nequeat, sive argumentum historicum spectes, sive doctrinam in ea propositam, et hanc cum ad fidem Deo et Jesu Christo habendam, tum ad morum emendationem pertinentem. Denique vel usus epistolae Petrinae, quem noster fecisse dicitur, nullo modo Juda indignus est, neque justa causa, cur epistolam spuriam rejiciamus. Cum autem res ita se habeat, ut jure meritoque nihil contra authentiam ejus afferri possit: hoc unum paene jam sufficit, ut auctori, se eum ipsum qualem hactenus descripsimus, Judam fuisse, profitenti fidem, cujus denegandae causa non extat, meritam debitamque tribuamus.

Quod quidem eo magis nobis faciendum est, quia omnes conjecturae de alia quadam et non genuina epistolae origine, unquam in publicum editae, non modo certis firmisque rationibus carentes, sed vel per se spectatae plane non probabiles

neque verisimilitudinis quidem speciem prae se ferentes invenientur. Primum enim opinio *Grotio* probata ([67]): „Hanc epistolam esse Judae, episcopi Hierosolymitani, qui vixerit Hadriani temporibus paulo ante Barchochebam, atque eandem adversus Carpocratianos scriptam," a tot jam dudum tantisque viris eruditissimis refutata est, ut verbum addere vix liceat. Nam quae ille in epistola recentioris aevi indicia deprehendere existimavit, minime inveniuntur; imo v. 17. 18. contraria suadent. Praeterea ne verbo quidem attigit neque ostendit, Judam, quem nos statuimus, minus recte auctorem putari; sed ejus tantum apostolicum ortum negavit. Denique omni justa causa destitutus, ut supra docuimus, verba: *ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου*, a scribis demum addita accepit. Quam quidem conjecturam, pluribus epistolae locis (e. c. v. 14. 15. 18. 21. 24.) plane adversantem, virum nonnisi in praejudicatae ipsius opinionis gratiam arripuisse et defendisse, dubio vacat.

Altera conjectura, spuriae litterarum originis explicandae causa a *Boltenio* proposita est ([68]), eaque a veritate paene magis abhorrens quam illa Hugonis Grotii: „Utrasque litteras (Petri secundas et Judae) ab eodem auctore conscriptas esse, qui in altera Judae, in altera Petri personam susceperit." — Quam opinionem jure perstrinxit Dahlius (p. 25.). Etenim non solum argumentis fulcita est nullis, sed vel refellitur similitudinis utrique epistolae intercedentis natura et vera indole, quippe quae minime est tanta seu ita com-

---

([67]) In l. l. T. II. P. II. p. 1117.

([68]) N. testamentliche Briefe T. III. Vorbericht p. XXX.

parata, ut ab uno eodemque scriptore ortae haberi possint. Idem etiam propter diversissimum, in utraque perspicuum, scribendi genus cogitari non licet. Accedit, vix causam inveniri, cur impostor duas epistolas, similia neque tamen prorsus eadem continentes, scripsisset. Denique in tota hac conjectura defendenda pro vero sumitur, utrasque litteras spurias esse; cum tamen de epistola Judae longe aliud viderimus.

Tertia est conjectura *Bergeri* (69), epistolam ab apostolo Juda haud conscriptam, quin plane spuriam et suppositiciam declarantis, ejusque originem hoc modo explicantis: „Abscissam epistolae Petrinae mediam partem viro cuidam, eosdem, quos Petrus, haereticos odio persequenti, in manus incidisse, qui, cum apostolicum auctoris nomen ignoraret, variis fortasse causis adductus, fragmentum, Judaica eruditione ab ipso exornatum atque initio et fine instructum, Judae apostolo prout auctori tribuerit." — Sed quem, quaeso, fugit, istam medii capitis abscissionem non minus, quam ignorationem epistolae Petrinae in viro, tum temporis religionem Christianam docente, omni verisimilitudine orbari. Porro si fragmentum Judae *apostolo* tribuisset: eum, ut litteris auctoritatem conciliaret, hanc rem in ipsis iterum iterumque asseveraturum fuisse, quis est qui non intelligat. Quod quidem eo magis statuendum esse videtur propter consilium in epistola divulganda isti ignoto a Bergero suppositum: nimirum ut tela contra haereticos pararet et arma validissima. Sin vero scripto originem apo-

---

(69) Versuch einer moralischen Einleitung in das N. T. T. II. p. 395.

stolicam revera adscripsisset: haudquaquam illud, aliis additis, aliis ejectis, eum in modum mutaturus, sed omnia religiose servaturus fuisset. Tum a Bergero quoque epistolae αὐθεντία sine justa ratione in dubium vocata est. Tandem vero ut ejus sententiam prorsus rejiciendam censeamus, adducimur eo, quod (ut optime Dahlius p. 80. observavit), Judae epistola, qualis nunc quidem nobis exhibetur, non solum secundum Petrinae caput continet, sed totius vestigia ab initio usque ad finem involvit. Quod cum ita sit, omnino fieri non potuit, ut media pars, ab initio et fine abscissa, editori in manus incideret.

Demum restat, quae curiosius examinetur, conjectura Dahlio ut verisimillima accepta (p. 86. et 87.), quae fere talis est: „Presbyterum quemdam Judam, ad quem ep. Petrina forte perferebatur cum ecclesiis communicanda, sibi persuasisse, eam ad levem haereticorum animum movendum non satis aptam esse. Consilium ergo cepisse, partem epistolae a ceteris ita sejungendi, ut inde nova epistola, ad finem suum accommodatior, exoriretur. Istum voces phrasesque Petrinas passim servasse, partim immutasse, maxime autem, prout Judaicarum traditionum mythorumque amantissimum, nonnulla ejusmodi e libris apocryphis immiscuisse. Epistolam tali arbitrio mutilatam tanquam ab ipso apostolo concinnatam in vulgus edere non satis ausum esse, fortasse ipsum quoque epistola pastorali gloriolam quaerere voluisse; inde, suo ipsius nomine inscripto, opusculum in lucem protulisse. Eundem fortasse litterulas statim pluribus exemplis describendas curasse; unde fieri potuerit, ut maturius divulgaretur; cum praesertim illi quoque mythi forsan

nonnullis arriderent. Eundem autem epistolam Petrinam retinuisse, ne illico in publicum prodiret. Quae cum, auctoritate epistolae Judae jam firmata, demum innotesceret: eam parum expetitam, vel a pluribus in dubium vocatam atque prorsus neglectam esse, neminem posse mirari."

Quis virum doctissimum sententiam suam summo ingenii acumine et ἀκριβείᾳ defendisse negabit? Attamen me, accuratius illam examinantem eamque argumentis nimis levibus fulciri modeste probantem, veniam impetraturum esse spero. Postquam igitur Judam nostrum ab omnibus objectionibus, contra ipsum epistolae auctorem prolatis, vindicavimus: Dahlii de alio quodam Juda, presbytero, opinio justa ratione destituta jam invenitur. Neque omnino per se potest probari inutilis haec et nonnisi incertae conjecturae defendendae causa facta multiplicatio virorum, qui aetate apostolica Judae nomine usi essent; atque jure meritoque commonuit Eichhornius, quam maxime esse mirandum, si aevum apostolis proximum novum Judam cum novo Jacobo fratre, eodemque insigni apud lectores auctoritate ornato, protulerit. Quare altera quoque sumtio: hunc fortasse presbyterum esse eundem, ad quem litterae Petri perlatae sint, quolibetcunque non solum argumento sed probabilitatis etiam specie caret. — Id vero ne intelligitur quidem, quomodo presbytero in animum venire posset, scriptum a Petro, summo apostolo, profectum, fini proposito minus aptum judicare, quin suae ipsius epistolae, inde consarcinatae suoque nomine editae, majorem ad animos impiorum movendos emendandosque vim atque efficaciam tribuere. Quod quidem et per se refellitur, et non-

nisi superbissimi et maxime insolentis est hominis, quem, vel omni studio et opera impensa, in epistola quidem Judae frustra quaesiveris. — Neque porro apparet, qua fronte presbyter epistolam Petri, cum ecclesia communicandam, hoc ipso vivente immutare, mutilare, et vel suo nomine in lucem edere posset. Nam profecto epistolae suppositiciae tutius et facilius Petri, quam suum ipsius nomen inscribere potuisset. — Cum deinde Judas per totas litteras ab ambitione et gloriae cupiditate adeo alienum se praebeat, ut, lectorum salutis juvandae studio plenus, de semet ipso ne verbo quidem mentionem fecerit: Dahlii accusatio, eum epistola postorali gloriolam quaesivisse, falsissima omnino est aestimanda. — Quod deinceps Dahlius asserit: „presbyterum epistolam Judae pluribus fortasse exemplis describendum curasse, Petrinam vero retinuisse," est mera suspicio nullam aliam ob causam excogitata, nisi ut de magna auctoritate, quam Judae litterae ante Petrinas nactae sunt, injustius judicari possit. Verum autem cum fraudulenti ingenii, hoc modo Judae presbytero adscripti, ne levissima quidem in epistola vestigia occurrunt; tum veterrimos ecclesiae patres non eum in modum credulos omnique sana mente destitutos fuisse, ut fictas illas ob causas genuinam originem epistolae Judae defenderent, Petrinae vero impugnarent, vel inde patet: quod plures eorum litteras Petrinas, quamvis praeclaro apostoli titulo ac nomine inscriptas, atque iterum iterumque celebrato Petro se vindicantes, nihilominus spurias et seriore demum tempore compositas declarasse et rejecisse videmus.

Recte igitur mihi affirmare videor, omnes conatus, ut seriorem epistolae originem explicarent

et verisimilem redderent, hucusque a viris doctis factos, irritos fuisse, neque, quod propositum esset, perfecisse. Cum autem res ita se habeat; hoc ipso epistolae αὐθεντίαν haud parum confirmari, non est quod infitias eamus.

Ad ea addas velim, cum nulla fraus certo quodam consilio et eo plus minusve aperte declarato, careat, in toto tamen nostrae epistolae argumento, cum historia evangelica comparato, causam et rationem detegi nullam, cur illa Judae, Christi consobrino et fratri Jacobi, a falsario supposita sit falsoque adscripta. Primum enim de consilio istius ad se ipsum spectante, fortasse de gloriae cupiditate, prorsus non licet cogitare. Nam adversatur epistola quam maxime: nil in ea obvium, quod e fonte minus candido emanaverit; nil externa quaedam commoda spectans; nihil, quod ad singulos nonnullos pertineat. Praeterea si talia spectasset auctor, sine dubio Judae *apostoli* partes suscepturus fuisset, non autem nostri Judae minus celebrati. Quocunque enim fine et consilio Pseudo-Judam litteras composuisse credideris: cur tamen is Judae, Jesu consobrini, nomen scripto suo proposuerit, neque multo magis apostoli titulum longe celebriorem, causam probabilem excogitare non poteris. Neque facilior res evadet, etiamsi locos in ep. obvios, quos ego quidem de Juda, consobrino Christi, interpretatus sum, de *apostolo* Juda intelligendos statueris. Si enim auctor fictam *apostoli* personam sibi sumsisset: quis dubitat, quin hoc tam constanter et luculenter asserturus fuisset, ut de hac certe re dubium haudquaquam restaret.

2) Sed his non contenti, acceleremus ad argumenta pro Juda, vero epistolae auctore, pro-

ponenda, quae dicuntur, *positiva*, eaque ex ipsius scripti argumento naturaque petita. Atque de eximia Judae dictione hujusque magnis virtutibus provocare mihi liceat ad Laurmannum, qui in loco de dictionis Judae genere et colore eam rem tam egregie exposuit, ut de ea ne verbum quidem addere velim. Primum igitur animi cultura ingeniique aliqua doctrina vitaeque prudentia et candor, quae prodit auctor, cum Juda nostro, quantum nos quidem hunc cognoscere potuimus, optime consentiunt. Cognoscitur enim ex litteris vir Judaeus, doctrina Judaeorum imbutus (v. 5. 6. 7. 9. 11. 14. 15.). At Judaicam suam doctrinam non gloriandi causa in medium protulit, sed, ratione ipso dignissima ductus, ea usus est, ut homines, qui, aeque atque ipsi, ex Judaeis Christiani facti essent, exemplis, illorum ingenio et captui accommodatissimis optimeque rem illustrantibus, et ad puriorem perfectioremque religionis Christianae cognitionem, et ad constantiam in virtute exercenda perspicuam perduceret. Eo enim consilio v. 5-7. et 11. exempla justitiae divinae, praeterlapsis saeculis edita, et lectoribus ante oculos adhuc versantia, attulit, ut impios istos, Christianorum coetus corrumpentes, non magis impunitos evasuros fore, doceret. In sanam porro agendi rationem istorum, qui angelos, quorum excellentiam capere vix possent, irridebant, exemplo archangeli illo egregie illustravit. Denique dura Enochi verba, poenas divinas minitantia, commode in impios homines suo tempore viventes applicavit; ut vix fieri posset, quin obduratos eorum animos vehementer moveret. — Constat igitur, nostrum illud Petrinum: *πάντα πρὸς οἰκοδομήν*, bene tenuisse. Simul vero per-

fectam quoque doctrinae Christianae de Deo, vita futura, et virtute notitiam prodidit. Persuasionem vere Christianam de Dei justitia, in puniendis peccatoribus conspicua, exhibuit v. 5–8. 15. Sapientiam, magnitudinem, omnipotentiam unius veri Dei admiratur v. 25. Ejusdem erga homines benignitatem et lenitatem, humanum imperfectae virtutis studium adjuvantem, praedicat v. 34. Spem deinceps alit firmissimam vitae futurae, in qua, qui peccatis se non abdicassent, poenas gravissimas (v. 14. 15.), qui autem in amore Dei perseverassent, misericordiam Dei et Jesu Christi per omnia tempora experturi sint (v. 21. 24.) — Tandem in tota epistola gravem et Christiano dignam officii ac virtutis cognitionem profitetur: v. 21. et 20. commendat amorem Deo et fidem Christo tribuendam, atque preces ex pio animo fundendas; v. 9. verissimum praeceptum involvit; non decere nos, quippe imbecillos homines, ne malos quidem angelos et peccatis e gratia divina delapsos, contemnere iisque maledicere; imo v. 22. 23. vel homines, sceleribus a Christianorum communione alienatos benigniter tractare, eosque ad Deum et virtutem caute reducere jubet. — Quorsum autem haec omnia? Id sane demonstrant, non solum dignissimum esse epistolae argumentum, quod ad Judam referatur; sed totum etiam cum illo conveniens atque consentaneum. Cognovimus enim Judam genuinum Judaeum, Judaica doctrina imbutum, qui provectiori demum aetate ad Christi jam mortui et e rebus humanis in caelum sublati religionem se converteret; tum vero familiaritate cum apostolis inita, praecipue fortasse Jacobi fratris consuetudine et proprio studio, perfectiorem doctrinae

Christianae notitiam sibi compararet. Quamobrem tota argumenti descriptio optime cadit in eum. Nam difficillimum, ne dicam, omnino non faciendum quid, sibi proposuisset homo fraudulentus, qui Judae personam ita imitari voluisset, ut fictionis neque suspicio neque vestigium locum haberet. Argumentis igitur contra Judam scriptorem deficientibus, e mirifico consensu, quem epistolae argumentum inter et characterem Judae supra definitum intelligimus, authentica litterarum origo praesidium trahit haud contemnendum.

Neque minus firmum epistolae propugnaculum in probo ac sincero scriptoris ingenio, ab omni fraude alienissimo, et in quoque fere commate praeclare perlucente, inveniemus. Qui quidem candidus ejus animus inprimis se exhibuit in toto epistolae consilio, quam, sincero in lectores amore ductus, unam eam ob causam scripsit, ut eos, qui a falsis doctoribus seduci facile possent, ad fidem semel acceptam constanter servandam admoneret (v. 3. 5. 17. 18. 20. 21.). Id vero tali modo persecutus est, ut in epistola verbum ad hoc consilium non spectans vix ostendatur. Utrumque vero, et tale consilium, et talis id absolvendi ratio ab impostore et quolibet scriptore, qui Judas non esset, plane abhorret. Neque deinde possumus, quin auctoris mores ad veram Jesu doctrinam compositos admiremur. Licet enim summo in impios fervore et detestatione abripi se patiatur (v. 4. 8. 10. 12–16. 19.): tantum tamen abest, ut vero et Christianae religioni proprio amore in alios exercendo destitutus sit, ut vel lapsis illis amorem praestandum eosque summo studio et labore Deo et Christo reconciliandos esse censeat. Itaque cum morum severitate be-

nignitatem et lenitatem a Christo praeceptam conjunxit, quod a fraudulento quodam scriptore vix sperandum. Denique summam modestiam, ab omni gloriae cupiditate remotam, atque animum a timore, ne litterae suae a posteris viles aestimentur, liberrimum prae se fert auctor. Modeste enim se servum Jesu Christi appellat, atque a fratris nomine commendationem quaerit. Ut vero apostoli gloriam sibi addat, tantum abest, ut etiam de apostolis Domini, quemadmodum inferiorem decet, summa reverentia loquatur. Alia de semet ipso dicta frustra quaesiveris. Quae autem ad litteras non minus lectoribus quam posteris commendandas inservire possint: horum ne verbum quidem obvenit. — Cum igitur ad multa alia, quae epistolae *γνησιότητα* defendunt, adhuc accedat, eam profiteri auctorem, non modo nullo opprobrio persequendum, sed vel summa religione summoque virtutis studio ornatum: aequus quisque jam fidem concedet illi nos docenti, se Judam, apostolorum et hominum ab his edoctorum aequalem, eundemque fratrem celeberrimi Jacobi, revera ad ecclesias Christianorum, quae suo tempore ab impiis hominibus et simul doctrinam Christianam corrumpentibus perturbarentur, has litteras Judae nomine superstites scripsisse atque dedisse.

CAPUT QUARTUM,

in quo de miro epistolae Judae et Petri secundae consensu disseritur, atque auctor epistolae Petro adscriptae litteras Judae in auxilium vocasse demonstratur.

Quae quidem nostra sententia, de genuina epistolae origine hucusque proposita, veterrimorum ecclesiae scriptorum testimoniis mirum in modum confirmatur atque corroboratur. Priusquam vero de his videbimus, antea: utrum epistolae, quam dicimus Petri secundam, auctor litteras Judae, an e contrario noster illam in sua conscribenda adhibuerit, studiose inquirere necesse fuerit. Nam hoc loco commorabimur neque in refellenda opinione eorum, qui hanc convenientiam et similitudinem propter idem, quod forte uterque scriptor in iisdem lectoribus edocendis secutus sit, consilium, fortuitam putandam; neque eorum, qui ut Zachariae, Griesbachius, Hassius, utrumque sententias et vocabula ex eodem fonte hausisse, sine aliqua veri specie censuerunt. Non enim casu quodam, ut dicunt, ac fortuito utrumque scriptorem tam mirum in modum conspirare,

cuique patebit, qui epistolas paulo accuratius inspexerit, atque convenientiam non modo ad formam, argumentum omnemque tractandi modum pertinere, sed vel singulas sententias, imo singula verba spectare invenerit. Quod nuperrime demum sanis oculis propositum est a M. T. Laurmanno, in libro, judicio modesto veraque eruditione referto, qui inscriptus est: „Notae criticae et commentarius in ep. Judae, p. 162–168." Posteriorem vero opinionem de communi quodam fonte, neque similitudinem inter utramque epistolam intercedentem, quippe in rebus non minus quam verbis conspicuam, satis explicare, neque, cum de ejusmodi fonte nil constet, atque Judas e pluribus ac diversis fontibus hauserit, (cf. Laurmannum l. l. p. 137–173.), argumentis firmis gaudere, ut a multis viris doctis, ita luculenter etiam probatum est ab Haenleinio (70). Neque magis nos impediet conjectura a Boltenio exhibita, et ea jam supra refutata. Contra lubenter accedimus sententiae celeberrimorum virorum fere omnium: alterutrum, aut Judam aut Petrum (71), scribentem inspexisse et ob oculos habuisse alterius litteras. Quamobrem de hoc tantum quaeritur: utrum Judas Petri scriptum usurpaverit, quod statuerunt Millius, Wolfius, Semlerus, Chr. F. Schmidius, Zachariae certe quoad partem, Michaëlis, Storrius, Haenleinius,

(70) Handbuch der Einleitung in das N. T. V. I. p. 217 sqq. ed. secund. Atque Ep. Judae comment. crit. illustr. p. 70 sqq.

(71) Ita enim brevitatis causa appellare lubet epistolae Petrinae posterioris auctorem. Ingenue enim fateor, mihi a Dahlio et Pottio, licet ii quidem summa et sagacitate et diligentia in defendenda hac ep. usi sint, tamen de ea persuaderi non potuisse.

Stolzius, Schulzius, Pottius, Flattius, Dahlius, Planckius junior in praelectionibus; an contra Petrus sit posterior scriptor Judae epistola utens, quod voluerunt Herderus, Gablerus, Vogel, Schmidtius, Hugius, Welckerus, Richterus, Eichhornius. Vides profecto, ab utraque parte sat magnos stare viros, eximia auctoritate praeclaros; ut facile aliquis cum Kleukero de vero hîc inveniendo desperare possit. At nemo facile confitetur, veritatem a se frustra indagatam esse. Quare ego quoque, quid humeri valeant, certe tentabo. Epistolam igitur Petri ad antiquissimam litterarum a Juda profectarum originem testandam inservire, neque contra Judam epistolae Petrinae αὐθεντίαν asseverare: iis quidem, qui de γνησιότητι epistolae Judae persuasi sunt, jamjam certum foret indubitatumque, modo spuriam litterarum Petro vindicatarum et juniorem originem, nullo similitudinis ipsis cum epistola Judae intercedentis respectu habito, certis argumentis probare possimus. Verum enim cum haec amplioris et accuratioris, quam hoc quidem loco instituere licet, quaestionis res sit, neque ea ad litem: quis primus scripserit, dirimendam plane necessaria: hac via relicta et aliam, quae una superest, ingressi, singula utriusque epistolae loca diligentius inter se conferre statuimus. Qua quidem comparatione, licet non paucis absolvenda, hîc tamen supersedere nequeo, quippe quae, cum in disceptatione de origine utriusque epistolae componenda gravissimi sit momenti, nonnisi a Richtero (72) et Dahlio (p. 25–48.) instituta est. Cum

(72) Comment. exeget.-crit., de orig. IIdae Petr. ex ep. Juda repetenda. Viteb. 1810.

vero ille brevius neque ea, qua debuit, ἀκριβείᾳ, posterior autem, (quod cum pace ejus dictum sit!) praejudicatae suae de utraque ep. opinioni nimis favens, rem pertractaverit, atque hoc modo quisque eorum contrariam sententiam defenderit: equidem comparationem ita adornare constitui, ut, rerum verborumque ordinem, quem Judas in scribendo secutus est, tanquam faciliorem et lucidiorem religiose servans, unice acquiescam in eo, quod e singulis utriusque scriptoris locis inter se compositis, aperte consequitur. In quo quidem consilio eo facilius persistere potero, quod αὐθεντία epistolae Judae ex hac comparatione, firmum quidem praesidium trahere, nullum autem, ut supra evici, damnum capere queat.

Jud. v. 1.	2. Pet. I, 1.
Ἰέδας Ἰησῦ Χριςῦ δῦλος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβε, τοῖς ἐν τῷ Θεῷ πατρὶ ἡγιασμένοις, καὶ Ἰησῦ Χριςῷ τετηρημένοις κλητοῖς.	Συμεὼν Πέτρος, δῦλος καὶ ἀπόςολος Ἰησῦ Χριςῦ, τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχῦσι πίςιν ἐν δικαιοσύνῃ τῦ Θεῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησῦ Χριςῦ.

Similitudo in his versibus conspicua non offendet, si plurimarum epistolarum N. T. exordium comparaveris. Id tantum notatu dignum videtur, Petrum se, aeque ac Judam, δῦλον Ἰ. Χ. appellasse, quod in prima Petri ep. non invenitur. Tum verbum σωτῆρος in Judae ep. deest. Denique summa perspicuitas atque mira singulorum verborum orationisque membrorum concinnitas apud Judam obvia neminem fugit.

Jud. v. 2.	Pet. I, 1.
Ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη καὶ ἀγάπη πληθυνθείη.	Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη ἐν ἐπιγνώσει τῦ Θεῦ, καὶ Ἰησῦ τῦ κυρίε ἡμῶν.

Similia in utroque sunt verba: *εἰρήνη πληθυνθείη*, quae Judam e Petro mutuatum esse, statuit Dahlius, quia 1. Petr. I, 2. eadem deprehenduntur. Sed hanc ipsam ob causam fieri potuit, ut Judas ea ex prima ep. Petri depromeret. Cum vero et in prima et in altera ep. Petri legantur: *χάρις καὶ εἰρήνη*, et tamen Judas voce *χάρις* careat, hujus loco *ἔλεος καὶ εἰρήνη* ponens: Judas neque primam neque secundam Petri ante oculos hîc habuisse videtur. Aliter enim vocabulum *χάρις* retinuisset vir, qui apostolorum scripta se legisse libere confessus est (v. 17. 18). Cur autem Petrus hîc a Juda recesserit, omnino intelligitur, sive ipse Petrus fuisse statuatur, sive auctor fictum Petri nomen prae se ferens. *Ille* enim in prima quoque ep. scripsit prorsus eadem verba (I, 2.): *χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη*; *huic* autem cum genuina Petri epistola consentire non parum intererat. — Judae porro sententia est brevitate simul et perspicuitate verborumque ordine insignis. Contra Petrum verbis *ἐν ἐπιγνώσει τȣ̃ θεȣ̃ καὶ Ἰησȣ̃ τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν* nil novi addidisse, sed primariam sententiam pluribus tantum verbis extulisse, nemo negabit. Cujus rei causa fortasse quaerenda est in primae ep. Petrinae verbis: *κατὰ πρόγνωσιν θεȣ̃.*

Jud. v. 3.

Ἀγαπητοὶ, πᾶσαν σπȣδὴν ποιȣ́μενος, γράφειν ὑμῖν περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, ἀνάγκην ἔσχον γράψαι ὑμῖν, παρακαλῶν, ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει.

Breviter et definite ipsius in scribendo consilium declaravit: admonendi Christianos ad religionem semel acceptam constanter servandam. Jam multo prolixius idem fecit Petrus c. I, v. 3-21.

Neque, si Judas Petrum inspexisset, intelligitur, quomodo multos hos versus alto silentio praeterire potuerit, ut neque singula quaedam verba, neque admonitiones nonnullas generales inde hauriret; ad quod tamen faciendum Petri v. 3–12. et v. 19–21. occasionem haud spernendam praebuissent. Quid? quod scriptor, qui alius vestigia sequitur, vix potest, quin ex omnibus, quae in exemplari suo invenerit, certe similia quaedam et levia indicia suis imprimat. Atque ita res se habet in ep. Petri. Postquam enim, ut videtur, Judae v. 3. inspexerat, ipse v. 3. 4. rem altius repetere incepit; tum v. 5. verba Judae: *πᾶσαν σπȣδὴν ποιȣ́μενος*, de ipso Juda intelligenda, in similia: *σπȣδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες* mutata, ad lectores transtulit; ubi quemcunque offendet, Petri et verborum ordinem et vocabuli *παρεισενεγκ.* electionem longe exquisitiorem esse quam Judæ. — Deinceps v. 5–11. apud Petrum admonitiones generales sequuntur, quarum mentio a Juda nulla injecta. — Tandem v. 12. ad Judae argumentum redit; sed longe rariore verborum electione: *διὸ ȣ̓κ ἀμελήσω ἀεὶ ὑμᾶς ὑπομιμνήσκειν.* Judas simpliciter scripsit: *σπȣδὴν ποιȣ́μενος;* Petrus elegantius: *ȣ̓κ ἀμελήσω:* quia phrasi *σπȣδὴν παρεισφέρειν* jam erat antea usus. — Judas negligentius dixit: *γράφειν;* Petrus variore vocabulo *ὑπομιμνήσκειν* usus est. Ille *speciatim* protulit: *περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας;* hic *in universum:* *περὶ τȣ́των*, quia nonnisi de universali sua admonitione intelligi volebat. Neque oblitus est, lectoribus suavia dicere: *καίπερ εἰδότας καὶ ἐστηριγμένȣς ἐν τῇ παρȣ́σῃ ἀληθείᾳ;* Judas vero rem serius tractavit. — Iterum v. 13. filum e Judae v. 3. recepit. Ubi Judas sine ambagibus habet:

ἀνάγκην ἔσχον; ille politius: *δίκαιον δὲ ἡγῦμαι.* Ubi Judas scripsit: *γράψαι ὑμῖν παρακαλῶν,* apud Petrum artificiosius legitur: *διεγείρειν ὑμᾶς ἐν ὑπομνήσει.*

Verborum autem: *ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει,* ab Juda singulariter additorum, plane oblitus est ob additamentum minus ad rem pertinens, quam ad ipsius personam: *ἐφ' ὅσον εἰμὶ ἐν τύτῳ τῷ σκηνώματι.* Hac enim data occasione semet ipsum v. 14. Petrum illum apostolum descripsit, cui Christus diem supremum ante ipsius reditum praedixisset subeundum.

Quo facto v. 15. ad Judae v. 3. rediens, verbis: *σπυδάσω δὲ ἑκάστοτε, ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον, τὴν τύτων μνήμην ποιεῖσθαι;* iterum enarrat consilium, quod in ep. conscribenda tenuerit. Sed statim orationis serie derelicta, v. 16–18. in ampliorem personae suae descriptionem aberravit. Quia vero v. 16. (cf. v. 18.) de fide, ipsius testimonio jure meritoque habenda, verba fecit: ei hoc modo in mentem venit, simul effatorum a veteribus prophetis oriundorum, *et horum quoque fide dignissimorum,* mentionem injicere (v. 19.). Cui tali modo factae addit suam de recta ratione scripta prophetica interpretandi sententiam, quam v. 21. e divina illorum origine defendere studet. Res cum ita se habeat, qui Judam v. 3. Petri litteras (I, 3–21.) expressisse credit, is Judae tantam ingenii vim atque dexteritatem hac ipsa re tribuat necesse est, ut simul confiteatur, virum tali ingenio praeditum in parvula ep. componenda alius non eguisse auxilio.

Post tantam a Juda aberrationem, (in qua tamen certissima versus tertii ex Judae ep. vestigia

haud neganda sunt), tandem ad orationis contextum, a Juda v. 4. servatum, mirum in modum c. II, 1. transire conatus est. Nimirum Judas, consilio suo v. 3. paucis declarato, ansam scribendi, a pravis hominibus sibi datam, eadem brevitate et ordine contextui accommodatissimo explicat. Sed quomodo Petrus, quem idem facere oportebat, a prophetis Judaeorum illorumque interpretatione ad falsos doctores in Christianorum coetibus exoriundos transitum fecerit, vix credas! Ecce! est talis (c. II, v. 1.): *ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ, ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται.* Unde quaeso, et quorsum hic falsi prophetae, qui olim inter Judaeos exstiterant, nisi forte eam ob causam a Petro adducti sint, ut hoc modo ad Judae contextum reverteretur. Nam profecto neque in antecedentibus neque in consequentibus de illis verbum; sunt revera deus quidam ex machina, ut est in proverbio, qui omni luce careret, nisi ex Judae litteris eam acciperet. Sequitur locus

Jud. v. 4.

Παρεισέδυσαν γάρ τινες ἄνθρωποι οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, ἀσεβεῖς, τὴν τοῦ Θεοῦ, ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, καὶ τὸν μόνον δεσπότην καὶ κύριον, ἡμῶν Ἰησοῦν Χρ. ἀρνούμενοι.

Pet. II, 1–3.

Ὡς καὶ ἐν ὑμῖν ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι, οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι, ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν. (v. 2): *Καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀσελγείαις, δι' οὓς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται.*

(v. 3.): *Καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς*

ἐμπορεύσονται· οἷς τὸ κρίμα ἔκπαλαι οὐκ ἀργεῖ, καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν οὐ νυστάζει.

Judas igitur exhibuit: παρεισέδυσαν, ubi Petrus: ἐν ὑμῖν ἔσονται, quo verbo propter oppositum ἐγένοντο aperte usus est. Id quoque dubio carere videtur, aut Judam vocem παρεισέδυσαν, aut Petrum suam παρεισάξουσιν, simili alterius verbi sono commotum, in auxilium vocasse.

Sed majoris momenti est, Judam et hoc loco et alibi semper de falsis doctoribus, qui jam praesto aderant, locutum esse; contra Petrum eos quasi futuro demum tempore extituros descripsisse (v. 1–3.) Primum ex his quidem nullo modo sequi videtur, quod Dahlius inde effici voluit: Judam Petro posteriorem scripsisse. Cum enim uterque non ad easdem ecclesias litteras dederit: omnino fieri potuit, ut vel post scriptam Judae epistolam οἱ ψευδοδιδάσκαλοι in alios coetus nondum irrepsissent. Attamen quo minus hoc modo statuamus, alia epistolae Petrinae loca adversantur. Priusquam igitur in singulis comparandis procedere licebit, de hac certe re accuratius videndum. Etenim auctor consilium suum aperte hunc in modum definivit, ut, qui brevi tantum temporis spatio in vita adhuc remansurus esset, Christianos ad veram Jesu religionem constanter retinendam admoneret (I, 12–15.; III, 1. 2.); ne a falsis doctoribus, *post* ipsius mortem extituris (I, 15.), iisdemque tempus supremum et reditum Christi praecessuris (II, 1–3.; III, 3.), corrumperentur et a recta verae doctrinae via abducerentur (II, 2.; III, 14. 17.). Quibus epistolae locis ex orationis serie rite expositis accurateque inter se comparatis, vix perspicitur, quomodo nonnulli interpretes Petrum non tam de futuris

et sequenti demum tempore extituris, quam de praesentibus et jamjam, dum scribit, ecclesias perturbantibus ψευδοδιδασκάλοις loquentem fingere potuerint. Quodsi igitur de contraria sententia tibi persuasum est, cum his conferas, velim, viam ac rationem, quam scriptor in eo consilio persequendo secutus sit. Tum profecto apparebit, eum II, 1–3. convenienter cum cōnsilio de *futuris* falsis doctoribus disseruisse; eundem autem, postquam v. 4–9. de vetustis justitiae divinae exemplis multus fuisset, consilii propositi jam oblitum deprehendi atque loquentem de hominibus, qui suo ipsius tempore non minus vita scelesta quam impia doctrina a vera religione alienissima se inquinarent Pergit v. 12–14. in describendis istis ita, ut verba faciens perspiciatur de hominibus, qui non amplius exspectandi, sed hoc ipso tempore jam praesto adessent. Vel verbis: ὅτος δὲ (v. 12.) digito quasi indicavit homines lectoribus haudquaquam incognitos. Quid? quod verbis: συνευωχέμενοι ὑμῖν (v. 13.), aperte descripsit istos cum lectoribus epulantes, (sive sit in agapis, sive in aliis horum conviviis), eorumque epulis se immiscentes. Quare illos non tantum non futuros, sed vel inter ipsos lectores jam praesentes a scriptore propositos esse, dubio caret. Quod etiam ex accuratissima illorum descriptione non minus, quam exinde patet, quod neque Petrum neque lectores de istis futuro demum aevo extituris tam anxie curasse verisimile sit. Idem confirmatur v. 15., ubi verbis: καταλίποντες εὐθεῖαν ὁδὸν, ἐπλανήθησαν, ἐξακολεθήσαντες τῇ ὁδῷ τȣ Βαλαὰμ, auctor expresse confitetur, falsos istos doctores jam aliquod tempus ante, quam hanc epistolam scripserit, inter lectores irrepsisse

atque res perniciosas molitos fuisse. Iterum v. 17–19. illos tales descripsit, qui eo tempore viverent; atque v. 20–22. ita, ut appareat, eos per aliquod temporis spatium in medio adeo Christianorum coetu jam vixisse. Sed videas, quaeso, quomodo c. III. init. ad propositum finem revertatur, ut v. 3. rursus de futuris ψευδοδιδασκάλοις, in fine hujus saeculi metuendis, sermo sit; quos tamen statim (v. 4. 5.) tam accurate designavit, ut futuri credi vix possint. Tandem v. 16. ipsi non ignoti sunt homines, epistolas Paulinas et reliqua scripta sacra interpretatione perversa detorquentes, et eos non procul a lectoribus viventes, cum hos graviter admoneat, ne illorum contagio seducantur. — Quae omnia cum sint verissima neque justo modo neganda: quem, aequo quidem animo rem considerantem, fugit, epistolae scriptorem consilio suo, iterum iterumque declarato, minus constitisse, contra ψευδοδιδασκάλες partim futuros, partim, finis sui oblitum, praesentes, imo accuratius et plenius Juda, proposuisse. Quae quidem res, quomodo cum Petro, vero epistolae scriptore, conveniat, videant alii; ad nos enim non pertinet. Equidem hoc loco nonnisi id mihi volo, quod facile adversus Dahlium patet: tantum abesse, ut hac via Petrus ante Judam scribens efficiatur, ut ille potius descriptionem suam celasse seque ante Judam scribentem optimo consilio finxisse facile credi possit. — Attamen ad singula pergamus.

Judas minus accurate tradit: τινες ἄνθρωποι, quasi de nomine, quo isti appellandi sint, nondum sibi constet; contra Petrus distincte ψευδοδιδάσκαλοι exhibet. Quis, quaeso, sibi persuadebit, Judam, brevitatis et finitae elocutionis

amantissimum, modo posterior scripserit, certam istorum significationem apud Petrum inventam abjecisse; qui quidem de falsis eorum doctrinis non minus, quam Petrus, verba fecit (v. 4. 8. 18.).

Judas brevius et durius: *πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τῦτο τὸ κρῖμα;* Petrus explicatius: v. 1. *ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν*, et v. 3.: *οἷς τὸ κρίμα ἔκπαλαι ὀκ ἀργεῖ, καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν ὀ νυςάζει.* — Non perspicitur, cur Judas, qui aliter acerrime in istos invehitur, hanc gravissimam poenarum divinarum annunciationem praeteriorit, si Petrum inspexisset. Hic contra et dura Judae verba mitigavit (v. 1.), et pluribus reddidit (v. 3.).

Videmus porro Judam gravem Petri locum (*οἵτινες — — ἐμπορεύσονται*) nonnisi leviter attigisse; neque minus perspicua Petri verba: *δι' ὃς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται*, in obscuriora: *τὴν τῦ θεῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν*, mutavisse; ut simul pro exquisita Petri voce *ὁδὸς τῆς ἀληθείας* (i. e. religio Christiana) consuetam *χάρις τῦ θεῦ* posuerit. — Ignorat idem non solum *αἱρέσεις ἀπωλείας*, a Petro (v. 1.) nominatas; sed etiam de multis istorum asseclis nil habet; eumque fugit, quod narrat Petrus, illos, avaritia ductos, fictis sermonibus Christianos sibi conciliaturos esse. — Judas tradit: *καὶ τὸν μόνον δεσπότην καὶ κύριον ἡμῶν Ἰ. Χ. ἀρνόμενοι;* Petrus v. 1.: *καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτὸς δεσπότην ἀρνόμενοι;* in quibus ille omnino pluribus verbis usus est. Neque tamen statuendum est, Judam, aliter brevitatis studiosissimum, hic in re levissima Petri verba amplificasse. Quod enim si fecisset, profecto aptissimum Petri verbum: *τὸν ἀγοράσαντα αὐτὸς*, non omisisset. —

Si vero totum utriusque locum accuratius perspexeris: in Juda summam brevitatem et concinnitatem, in Petro interpretationem illius; in Juda admirabilem simplicitatem, in Petro verborum componendorum artem magnam, et paene oratoriam, invenies. Quamobrem priorem epistolae Judae scriptionem praesertim hoc loco evinci, cum Hugio et Richtero contra Dahlium et Pottium statuere non gravor. Quae enim Dahlius contra Petrum posterius Juda scribentem attulit (p. 28.): „eum, qui pressius dictum idque sensu suo satis perspicuum ante oculos habeat, hoc non ita dilataturum esse, ut obscurius atque inconcinnum reddatur": haec majore verisimilitudinis specie ita in contrariam sententiam vertuntur, ut is, qui aliud scriptum, industriam auctoris ingeniumque prodens, tali modo in auxilium advocare velit, ut nihilominus, se ipsum exemplar proposuisse, speciem praebeat, non nisi singula verba curaturus et exornaturus, ordinem autem et orationis contextum perditurus inque pejus mutaturus asseratur. Utrumque vero absque dubio in Petrum cadit.

Transeamus ad locum Jud. v. 5–8. et Petr. II, v. 4–10. inter se comparandum. Utrique in animo est, ut, inde ab antiquissimis temporibus impios luisse poenas divinas, ostendat (cf. Jud. v. 4. et 5.; atque Petr. v. 3. et 4.). Judas igitur exhibuit exempla ab Israëlitarum in desertis rebellantium nece, a malorum angelorum poena, et Sodomorum vicinarumque urbium interitu repetita. Petrus contra enarrat de malis angelis, diluvio atque Sodomis; itaque ordinem servavit ad ipsum rerum gestarum tempus accommodatissimum. Numne autem probabile est, Judam, aliter omnia

optimo ordine disponentem (cf. v. 11.), eum a Petro servatum evertisse et confudisse? Cur deinde optimum omnium exemplum de diluvio, a Petro commemoratum, alto silentio transierit, causa atque ratio inveniri potest nulla. Neque magis credendum est, eum narrationes de Noacho et Loto, quibus Petrus Dei benignitatem erga pios homines docere voluit, prorsus omissurum fuisse. Dahlii enim excusationem (p. 30.): „Judam tantum poenarum exempla afferre voluisse," si vera est, de Petro eodem modo valere necesse est. Cum autem Judas statim v. 5. ab Israëlitarum ex Aegypto exitu *per Deum benignum* effecto initium fecerit: eum quoque benignitatis et amoris divini exempla non plane recusasse patet. — Magnum horum utriusque epistolae locorum momentum bene vidit Herderus (p. 80.); atque vel argumenta a Dahlio congesta (p. 34.), ut eorum vim irritam redderet, contrariae sententiae veritatem graviter confirmant. „Etenim Judam, inquit, illud exemplum omittendum esse duxisse, primum eam ob causam, ne excederet numerum *trium* exemplorum, quem cum veteribus solemniorem existimasset; deinde forte, ne se imitatorem Petri proderet." Quae altera ratio non solum injusta est, quia ipse Judas se et non apostolum, et apostolorum scripta legentem libere confessus est: sed majore etiam jure de Petro asseri potest. — Contra de Petro, si posterior scripsit, bene intelligitur, non solum, quomodo exempla in Judae ep. obvia in praestantiorem ordinem redigere potuerit; sed etiam, cur diluvii novum addiderit, quippe quod in prima Petri ep. III, 19. 20. jam invenerat. Neque minus in medio est, cur Israëlitarum in diserto pereuntium mentionem non injecerit. Hoc

enim ei in fine versus octavi faciendum fuisset. Ibi autem nimis longa sua et artificiosa periodo (inde a v. 4. procedente) jamjam ita impeditus erat, ut filum recipere nequiret, sed rhetorico fervore ad nova semper ferretur (v. 9. 10.), atque exempli illius plane oblivisceretur.

Neque singulorum verborum comparatio, nunc instituenda, minus clare et aperte Petrum imitatorem declarare videtur. Uberiora Judae verba v. 6.: *ἀγγέλες τε τὸς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον,* Petrus v. 4. duobus vocabulis: *ἀγγέλων ἁμαρτησάντων* comprehendit. Neque tamen Judas paraphrasin exhibuit, sed historias lectoribus bene cognitas innuit. Petrus quidem eam rem nonnisi leviter attingit, quippe a Juda jam amplius expositam; attamen eodem hoc versu Judae verba exornare et amplificare rursus incipit. — Nam cum Judas habeat: *εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπό ζόφον τετήρηκεν;* Petrus exornans ita: *ὀκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφε ταρταρώσας, παρέδωκεν εἰς κρίσιν τηρεμένες;* quorum *ὀκ ἐφείσατο* in Judae ep. plane desunt. Pro simplicibus hujus verbis et facile intelligendis: *δεσμοῖς ἀϊδίοις*, Petrus exquisitiora: *σειραῖς ζόφε* posuit. Judas brevissime: *ὑπο ζόφον τετήρηκεν;* contra Petrus majore arte, praesertim in participiis adhibendis conspicua: *ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τηρεμένες;* ubi vix quaeri potest: quis alterum ante oculos habuerit.

Apud Judam v. 7. legitur: *ὡς Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα, καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις τὸν ὅμοιον τέτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι;*

brevius apud Petrum: *καὶ πόλεις Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας.* De reliquis urbibus circum ja-

centibus tacuit, quia hoc per se planum; verba Judae: *καὶ ἀπελθȣ̃σαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας*, hoc quidem loco praetermisit; sed praetermissá v. 10. loco minus apto repetiit.

Judae sententia: *πρόκεινται δεῖγμα, πυρὸς αἰωνίȣ δίκην ὑπέχȣσαι* (Ecce! procumbunt exemplum, incendii aeterni poenam luentes!) quid potest gravius dici atque sublimius? Contra Petrus, pluribus eadem dicendo, sententiam mitigat, majore tamen arte adhibita: *τεφρώσας καταςροφῇ κατέκρινεν, ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν τεθεικὼς*. Ubi ille scripsit: *πυρὸς αἰωνίȣ δίκην*, hic *καταςροφῇ*; ille *δεῖγμα*, hic *ὑπόδειγμα*, additis: *μελλόντων ἀσεβεῖν*. — Quis non videt, Petri v. 7., quippe ad rem minus spectantem, prodere virum, qui iis, quae apud alium legerat, nonnulla de suis addere cuperet.

Quod quidem multo adhuc magis valet de v. 8.: qui continet pias quidem cogitationes, sed eas ad rem, de qua sermo, nullo pacto spectantes. Hoc modo filum v. 4. susceptum jam plane omisit, neque mihi persuadere possum, cum voce *οἶδε* (v. 9.) consequens orationis membrum incipere voluisse. Patet enim, Petrum v. 9, praecipue verbis: *ἀδίκȣς δὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένȣς τηρεῖν*, jam haud semel enuntiatis, id tantum egisse, ut ad Judae versum octavum transitum sibi pararet. Contra apud Judam arctissime omnia cohaerent. Cum enim v. 7. de Sodomitis locutus esset, his statim v. 8. suos homines comparavit. Porro

cum Jud. v. 8. cf. Pet. II, 10.

Ille exhibet: *σάρκα μὲν μιαίνȣσι*; hic multo prolixius: *τȣ̀ς ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμȣ̃ πορευομένȣς*;

in quibus exornationes summa diligentia congestas Hugius bene notavit (§. 160.).

Judas dicit: *κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι;* Petrus autem interpretantis instar: *κυριότητος καταφρονοῦντας.*

Petri autem: *τολμηταὶ, αὐθάδεις*, apud Judam, aliter graves sententias non spernentem, desunt.

Notatu quoque dignissimum est, Petrum hîc ab accusativo (*καταφρονοῦντας*) subito ad nominativum (*τολμηταὶ* cet.) transiliisse; quod facile intelligitur, si eum Judae: *δόξας βλασφημοῦσιν*, inspexisse accipias.

Judas denique simplici oratione tradit: *δόξας δὲ βλασφημοῦσι;* sed Petrus artificiosius: *δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες.*

Jud. v. 9.

Ὁ δὲ Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος, ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωσέως σώματος, οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας, ἀλλ' εἶπεν: Ἐπιτιμήσαι σοὶ κύριος.

Pet. II, 11.

Ὅπου ἄγγελοι, ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες, οὐ φέρουσι κατ' αὐτῶν παρὰ κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν.

Si Judas epistolam Petri imitatus esset, nonne, priusquam suum exemplum attulisset, sententiam Petri universalem praemisisse credendus est? Petrum vero, aeque atque Judam, certas quasdam historias in mente habuisse, abunde constat. Eundem autem tales narrationes vix lectoribus cognitas sumere potuisse, nisi epistolam Judae ab illis lectam cognovisset: satis superque demonstravit Hugius (§. 160.). Neque Dahlius

quidem quidquam pro sententia sua defendenda ex nostro loco dicere ausus est.

Quod ad verba singula adtinet, hoc modo res se habet:

Judae: *ὁ Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος*, a Petro in universum exprimitur: *ἄγγελοι ἰσχύϊ καὶ δυνάμει μείζονες ὄντες.*

Judae: *κρίσιν βλασφημίας*, Petrus elegantius expressit: *βλάσφημον κρίσιν*; atque hujus additamentum: *κατ' αὐτῶν παρὰ κυρίῳ*, paraphrasin produnt.

Jud. v. 10.	Pet. II, 12.
Οὗτοι δὲ ὅσα μὲν οὐκ οἴδασι βλασφημοῦσιν· ὅσα δὲ φυσικῶς, ὡς τὰ ἄλογα ζῶα, ἐπίστανται, ἐν τούτοις φθείρονται.	*Οὗτοι δὲ, ὡς ἄλογα ζῶα φυσικὰ, γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν καὶ φθορὰν, ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες, ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται.*

In Judae loco summa perspicuitas cum miranda verborum orationisque membrorum concinnitate conjuncta, neque verbum quidem abundans invenitur. Quae omnia cum alius scripti imitatore viroque epitomen componente parum conveniunt. Petrus autem in unam periodum nimis cumulatam, eaque de re obscuriorem, omnia congessit.

Ubi Judas perspicue scripserat: *ὅσα μὲν οὐκ οἴδασι βλασφημοῦσιν*, Petrus, arte in singulis verbis et eligendis et formandis apparente, mutavit: *ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες.* Idem verbis: *γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν καὶ φθορὰν*, novum istis addidit epitheton, quo Judas caret.

Loco brevis apud Judam sententiae perspicuaeque: *ἐν τούτοις φθείρονται*, ille longe curiosius scripsit: *ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθ.*; atque

praeterea v. 13. addidit: *κομιϑμενοι μισϑὸν ἀδικίας;* quae quidem Dahlius jure ad v. 12. retulisse videtur.

Jud. v. 11.	Pet. II, 15. 16.
Οὐαὶ αὐτοῖς· ὅτι τῇ ὁδῷ τȣ̃ Κάϊν ἐπορεύϑησαν, καὶ τῇ πλάνῃ τȣ̃ Βαλαὰμ μισϑȣ̃ ἐξεχύϑησαν, καὶ τῇ ἀντιλογίᾳ τȣ̃ Κορὲ ἀπώλοντο.	*Καταλιπόντες εὐϑεῖαν ὁδὸν ἐπλανήϑησαν, ἐξακολȣϑήσαντες τῇ ὁδῷ τȣ̃ Βαλαὰμ τȣ̃ Βοσὸρ, ὃς μισϑὸν ἀδικίας ἠγάπησεν, Ἔλεγξιν δὲ ἔσχεν ἰδίας παρανομίας· ὑποζύγιον ἄφωνον, ἐν ἀνϑρώπȣ φωνῇ φϑεγξάμενον, ἐκώλυσε τὴν τȣ̃ προφήτȣ παραφρονίαν.*

Primum animadvertitur Judas hoc loco tria exempla de Caïno, Balaamo et Core recto ordine attulisse; Petrus vero nonnisi Balaami mentionem fecisse. Attamen si ille locum Petrinum amplificasset: certe e multis, quae posterior de Balaamo attulit, ipse quoque nonnulla retinuisset. Tum quoque ea, in quibus Petri sententiam excessit, minime paraphraseos indolem atque naturam prae se ferunt; sunt contra res novae, ab ipso excogitatae inque ordinem redactae, Petrus autem, qui nuperrime (v. 14.) de hominibus, lucri studio habendique cupiditate accensis, disseruerat, ex tribus Judae exemplis unum ad rem suam accommodatissimum eligens, ampliore ejus magisque exornata pertractatione defectum illum quasi vesarcinare studuit.

Verba Judae: *ȣ̓αὶ αὐτοῖς,* a Petro, prout minus apta orationis suae contextui, omissa sunt. — Petri paraphrasis: *καταλιπόντες εὐϑεῖαν ὁδὸν, ἐπλανήϑησαν,* in Judae ep. desunt. — Breviora

Judae: *καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν*, fusius exposuit: *ἐξακολουθήσαντες τῇ ὁδῷ τοῦ Βαλαὰμ τοῦ Βοσὸρ, ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησεν.* — Quae vero v. 16. ad rem ipsam minime spectantia, plura addidit, virum produnt, de orationis pulchritudine et elegantia parum curiosum. Vir autem, hic illic orationis seriem perturbans, magis quam alius, optimo omnia ordine proponens, imitationis suspicionem mihi quidem praebere videtur.

Jud. v. 12.	Pet. II, 13.
οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμενοι ἀφόβως, ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες.	*ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν, σπῖλοι καὶ μῶμοι, ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν, συνευωχούμενοι ὑμῖν.*

Judae sententiae sunt graves, breves, et perspicuae, neque epitomen redolent. Contra in Petro omnia lucida demum fient, si eum Judae locum aliis et pluribus verbis reddidisse statueris.

Petri sententia: *ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν*, in Judae ep. deest, nisi fortasse his illud Judae: *ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες*, explicatum credas. — Judae verbis: *οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες*, pulchrius et aptius aliquid dici nequit. Petrus autem, ordine verborum interrupto, verba tantum imitatus est. Dahlius quidem non perspicere se fatetur (p. 33.), quomodo Petrus omnia in pejus vertere potuerit: at tota epistola artem in singulis tantum verbis eligendis et formandis consilio adhibitam prodit. — Judae *σπιλάδες* (i.e. scopuli, homines periculosi), mutavit in *σπῖλοι (maculae)* et auxit addita voce *μῶμοι (sordes)*; quod tamen utrumque, nisi Ju-

dae epistolam respicimus, orationis contextui minus convenit.

Contra e Petri v. 14. Judas ne syllabam quidem retinuit, quod nulla via ac ratione explicabis, si, Judam ep. Petrinam eam ob causam in auxilium vocasse, cum Dahlio statueris, ut falsorum doctorum notitiam e Petro sibi compararet.

Judae sententia: *νεφέλαι ἄνυδροι, ὑπὸ ἀνέμων παραφερόμεναι*, quoad argumentum in ep. Petri v. 17. reperitur: *ἐτοὶ εἰσι πηγαὶ ἄνυδροι, καὶ ὁμίχλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι.* — Petrum eo, quod vocem *πηγαὶ* interseruit atque *ἄνυδροι* ab *ὁμίχλαι* separavit, totam comparationis vim perdidisse patet; atque ex hoc quoque loco studium ejus in exquisitis vocabulis rarioribusque adhibendis mirum in modum elucet. Neque enim cum Juda *νεφέλαι* scripsit, sed *ὁμίχλαι;* quae est, Millio et Griesbachio auctoribus, genuina lectio; neque Judae vocem *ὑπὸ ἀνέμων* retinuit, sed mutavit in *ὑπὸ λαίλαπος;* atque pro Judae *παραφερόμεναι* scripsit *ἐλαυνόμεναι.* Verum enim persuadere mihi non possum, Judam e Petri v. 13. et 17. unum suum versum compilasse et tum adhuc e proprio ingenio addidisse; praesertim cum hic versus cum praecedentibus non minus quam insequentibus optime cohaereat. Contra Petrus ad Judae v. 12. facile iterum iterumque (v. 13. et 17.) redire potuit, cum v. 15. 16. res jam ante a Juda tractatas (v. 12.) interseruisset. Sed gravioris momenti videtur, quod, quae in Judae ep. v. 12. 13. extant: *δένδρα φθινοπωρινὰ, ἄκαρπα, δὶς ἀποθανόντα, ἐκριζωθέντα· Κύματα ἄγρια θαλάσσης, ἐπαφρίζοντα τὰς ἑαυτῶν αἰσχύνας· ἀςέρες πλανῆται;* apud Petrum plane desideramus. Cujus tamen omissionis causa

cogitari potest, quod imagines, quibus Judas usus erat, illi nimis durae atque audaces visae sint. Sed quomodocunque res se habeat: Judae verba non paraphraseos speciem exhibent, sed ex proprio Judae ingenio acri ac fervente hausta sunt. Neque, si Petri exemplar secutus esset, perspicitur, cur hîc plura addidisset, qui alibi multa apud Petrum obvia et ea ad accuratam impiorum descriptionem spectantia omiserit.

Jud. v. 13.	Pet. II, 17.
Οἷς ὁ ζόφὸς τῦ σκότυς εἰς αἰῶνα τετήρηται.	*Οἷς ὁ ζόφος τῦ σκότυς εἰς αἰῶνα τετηρηται.*

Itaque rursus vel in verbis consentiunt. Sed Judam ea ex Petro sumsisse, probabile non est, quia cum ea, quae his apud Judam (v. 13.) antecedunt, tum quae v. 14. 15. sequuntur, in Petri litteris non exstant, neque Judas alicubi usquam Petri sententias verbaque dilatavit et auxit. Praeterea vel in v. 12–16. breve et grave scribendi genus Judae proprium reperitur. Quod autem cum ita se habeat, non modo si brevitate, sed tum etiam, si rerum verborumque copia Petrum superat: equidem Judam Petri imitatorem habere non possum.

Effatum Enochi a Juda v. 14. 15. in medium prolatum plane omisit Petrus, fortasse eam ob rem, quia liber Enochi suis lectoribus non lectus sive haud magni aestimatus esset: vel ut apocryphorum auctoritatem sensim minueret; fortasse etiam, ut imitatoris speciem evitaret, cum praesertim semet ipsum illorum, qui talia praedixissent, unum fuisse contendisset, atque insuper (III, 1. 2.) praedictionum propheticarum in universum mentionem injecisset. Cur autem Judas, brevitatis apti-

que ordinis studiosissimus, si Petri epistolam ante oculos habuisset, tale additamentum hoc loco, neque multo magis ad Petri III, 1., ergo in sua ep. v. 17. apposuerit, id ne vix quidem perspicimus.

Judae v. 16. verba: *γογγυςαὶ, μεμψίμοιροι* apud Petrum non leguntur; contra illius sententia: *κατὰ τὰς ἐπιθυμίας αὐτῶν πορευόμενοι* in Petri ep. haud semel obvia est (II, 10.; III, 3.).

Cum Juda dicente: *καὶ τὸ ςόμα αὐτῶν λαλεῖ ὑπέρογκα*, cf. Pet. v. 18.: *ὑπέρογκα γὰρ ματαιότητος φθεγγόμενοι*; quod longe exquisitius.

Simplicibus Judae verbis et perspicuis: *θαυμάζοντες πρόσωπα, ὠφελείας χάριν*, comparanda est descriptio Petrina aliquoties repetita v. 14.: *δελεάζοντες ψυχὰς ἀςηρίκτους, καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίας ἔχοντες*; atque v. 18.: *δελεάζουσιν ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς, ἀσελγείαις, τοὺς ὀλίγως ἀποφυγόντας τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναςρεφομένους*. Hoc modo ab orationis serie a Juda retenta prorsus aberrans, in pravis istis depingendis pergit v. 19–22., ut verbis postremis nova semper idem fere significantia adjungeret, atque tandem istos cani, vomitum suum devoranti, et sui, in coeno se volutanti, minus eleganter compararet. Quae quidem omnia scriptorem ingenio non admodum excellentem declarant. De Juda autem jure affirmatur meritoque, eum nullam hujus loci notitiam habuisse, quippe qui de similibus sententiis ne cogitaverit quidem. Dahlium vero totam hanc rem silentio praetermisisse, valde doleo. Etenim una hac observatione explicari potest, qua causa et ratione Petrus III, 1., spreto verborum contextu, rem plane novam aggressus sit. Nimirum Judas, postquam v. 16. homines

istos satis descripserat, v. 17–19. voluit ostendere, oportuisse rem ita evenire, priusquam Christus in terram rediret; et vel apostolos de hujusmodi falsis doctoribus futuris claris oraculis futura praedixisse. Petrus igitur, Judae orationem secutus, idem probare voluit (III, 3.), eo tamen modo, ut semet ipse in apostolos, qui illud praedixissent, referret. Cujus quidem rei fidem si lectores ipsi haberent, bene vidit, fieri non posse, quin ipsum etiam prius Juda scripsisse putarent. Hac ductus causa primum III, 1. admonuit, hanc epistolam esse secundam, quam iisdem Christianis adscripsisset; neque totum epistolae consilium repetere neglexit: ἐν αἷς διεγείρω ὑμῶν ἐν ὑπομνήσει τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν. Tum demum v. 2. rediit ad Judae v. 17., e quo verba: μνησθῆναι τῶν προειρημένων ῥημάτων, retinuit, sed additis: τῆς ἐντολῆς auxit, ut in ambiguo relinqueret, utrum totam prophetarum et apostolorum doctrinam, an sola eorum de falsis doctoribus effata in memoriam revocare voluisset. Hoc posterius jure exspectabis, non solum si ad Judae epistolam respexeris, sed etiam si in ipsius Petri ep. conjunctionem versui 2. cum v. 3. intercedentem diligentius contuleris. At quae antecedunt v. 1. 2, atque praesertim verba: τῆς ἐντολῆς, quae nonnisi de tota doctrina Christiana intelligi possunt (cf. II, 21.) tali interpretationi prorsus adversantur. Itaque mira in hoc loco inconstantia et fluctuatio haud neganda est; quam ego quidem explicare nequeo, nisi Petrum se priorem Juda, hunc vero posteriorem et ex sua ipsius ep. describentem significare voluisse statuo. Quamobrem ut superaret Judam seque ipsum unum τῶν προειρηκότων describeret necesse fuit. Quae quidem

sententia vel singulis utriusque verbis comparandis corroboratur.

Judas verbis: *ὑπὸ τῶν ἀποςόλων*, vaticiniorum apostolicorum, unice huc pertinentium, meminit. Petrus autem, qui ipse apostolorum se infert numero, sententia: *ὑπὸ τῶν ἁγίων προφητῶν*, ultra Judam ad prophetarum effata ascendit.

Judas simpliciter de *ἀποςόλοις τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν* ita locutus est, ut se ipsum ingenue excluderet; Petrus autem addidit vocem *ἡμῶν*, ut, licet durissima verborum compositione se apostolum indicaret. Praeterea Christo tribuit epitheton *σωτῆρος* apud ipsum consuetum (cf. I, 1. 11.; II, 20.; III, 18.).

Judas simplici et perspicua oratione pergit v. 18.: *ὅτι ἔλεγον ὑμῖν*; Petrus, ut se ipsum praedicentem significet, apostolica dignitate effert: (v. 3.): *τȣ̃το πρῶτον γινώσκοντες*.

Judas: *ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ*; Petrus majore arte et diligentia: *ἐπ' ἐσχάτȣ τῶν ἡμερῶν*.

Apud illum legitur: *ἔσονται*; apud hunc: *ἐλεύσονται*; apud illum: *ἐμπαῖκται*; apud hunc: *ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται*; in illius ep.: *κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας*, in hujus: *κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας αὐτῶν*.

Judas, ratione contextui aptissima, v. 19. asseruit: istos ab apostolis praedictos esse eosdem, qui jamjam extitissent. Quae verba a Petro praetereunda erant. Pergit igitur v. 4., istos accuratius depingere tanquam homines Christi reditum irridentes; imo ipsos loquentes introduxit. Quod mirum sane videri debet de hominibus post ipsius demum mortem exstituris. Sed apud Judam de his omnibus altum silentium. Petrus autem vel

eo ivit praecipitantiae, ut contra homines, qui post plures demum annos prodituri essent, interitum mundi certo exspectandum uberius defenderet v. 5–10. Quae omnia si Judas legisset, certe non prorsus omissurus fuisset. Eodem modo admonitiones Petrinae v. 11–13. ex interitu mundi petitae a Juda praetermissa sunt.

Judae verba (v. 21.): ἑαυτὲς ἐν ἀγάπῃ θεῦ τηρήσατε, paraphrasi Petrina gaudent v. 14. 17. 18. Judae sententia: προσδεχόμενοι τὸ ἔλεος τῦ κυρίϐ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ εἰς ζωὴν αἰώνιον mirifice exornata invenitur apud Pet. III, v. 11–13. et 15.

Praestantissima verba v. 22. 23., quibus Judas lectores graviter cohortatus est, ut lapsos, lato auxilio in salvum reducerent, apud Petrum desiderantur, qui in tota ep. nonnisi poenas annuntiavit. Idem jam minus apte orationem convertit in Paulum apostolum, de quo multus est v. 15. 16. Non eodem modo Judas.

Qui in Judae ep. restant v. 24. et 25. cum iis, quae apud Petrum v. 17. 18. extant, minus, quam praecedentia, conveniunt. Id tantum patet, Judam in his quoque versibus proprium sibi scribendi genus usque ad finem servasse.

Sunt igitur rationes permultae et admodum graves, ex natura et indole utriusque epistolae inter se comparata repetundae, quae auctorem litterarum Petro adscriptarum epistolam Judae ante oculos habuisse probant. Cum enim in epistola Petrina quemlibet fere in Judae scripto extantem versum, exceptis perpaucis iisque, ut videtur, consilio a Petro praetermissis, deprehendamus; — quod quidem in ep. Judae longe aliter se habet, quippe qui multa a Petro copiosius exposita tantum attigit, multa etiam prorsus omi-

sit; — cum deinde non fugeret, epistolae Petrinae auctorem omni modo et qualibetcunque occasione semet ipsum ostendere magnum illum apostolum et dilectum Jesu discipulum, atque iterum iterumque asseverare: praedicere se de falsis doctoribus futuro demum tempore prodituris, ut scilicet horum ipsius effatorum post mortem suam adhuc memoriam recolerent; Judam contra perpauca tantum eaque summa modestia de se locutum esse, imo ex apostolorum numero se ingenue exclusisse suasque sententias apostolorum auctoritate confirmare studuisse, neque tamen Petri nomen expressis verbis attulisse; deinceps cum non perspiciatur, quomodo Petrus, si aliquod tempus ante Judam scripsisset, accuratiorem *ψευδοδιδασκάλων* notitiam, quam horum ipsorum tempore vivens Judas, habere potuerit; neque credi possit, Judam, qui (quatenus ex epistola sua cognoscitur) ingenii vi praestaret, ne parvulas quidem litteras suo Marte, ut ajunt, componere potuisse; (quod enim dicunt, illum epistolam Petrinam eo consilio inspexisse, ut de falsis doctoribus inde edoceretur, recte quidem se habere non potest; quia et multa ad istorum descriptionem spectantia eaque a Petro allata, praeterierit, et plura his adjecerit, neque omnino rerum, quae jam in medio adsunt, cognitio e scriptoribus, sed usu a nobis comparatur atque experientia;) — cum denique totum utriusque auctoris scribendi genus, ut supra vidimus, sententiae eorum, qui Judam imitatorem statuunt, plane adversetur; atque omnis ingenii et scribentis, quae in Juda cernitur, natura et indoles, minime auctorem prodat ex alio libello epitomen componentem, e contrario autem scribendi genus, quo

utitur Petrus, annuntiet scriptorem paraphrases sectantem: — Judam scripsisse primum, Petrum vero imitatorem Judae fuisse, comparatione hactenus instituta ad summam nos probabilitatem perduxisse nobis videmur.

CAPUT QUINTUM,

in quo brevis veterum testimoniorum, ad epistolam Judae spectantium, recensio exhibetur.

His peractis transeamus jam ad inquirenda veterum ecclesiae scriptorum testimonia Judae epistolam spectantia. De quibus tamen, cum plenior ejus historia critica a fine nostro plane abhorreat, atque praeterea haud semel a viris doctis collecta sit, nonnisi perpauca, quae necessario ad rem pertinent, hoc loco afferre in animo est.

Primus igitur et veterrimus, quem illa utriusque epistolae comparatione, ut nobis videtur, testem nacti sumus, est *auctor epistolae Petrinae*, et is (etiamsi non Petrus apostolus fuerit, sed fictas magni apostoli partes gesserit), non modo propter antiquitatem gravissimus, quippe qui, cum ejus epistola Origenis jam temporibus ab aliqua parte Christianorum scriptis apostolicis adnumeraretur, nisi saeculo secundo, certe circa annum 200. Judae litteras in auxilium vocaverit; sed idem propter finem suum et consilium in epistola Judae adhibenda perspicuum, summa fide et auctoritate dignissimus. Etenim cum Judae

litteris eam ob causam usus sit, ut suum scriptum quasi a Juda in ipsius epistola conscribenda jam adhibitum atque hoc modo a Petro apostolo revera profectum comprobaret: Judae epistolam inter Christianos, ad quos Pseudo-Petrus scripsit, magna dignitate et auctoritate gavisam esse, omnino pro vero certoque sumi posse videtur.

De *Hermae* testimonio, quod Chr. Fr. Schmidius (l. l. §. 113.) attulit, non dicam. Nam illius verba Viss. IV, 3.: „Quoniam immaculati et puri erunt electi Dei in vitam aeternam," nulla probabilitatis specie ad Jud. v. 21. 24. referuntur.

Non magis valet locus Clementis Romani ab eodem viro docto allatus (§. 106.). Nam Clementis verba ep. c. XI.: *Διὰ φιλοξενίαν καὶ εὐσέβειαν Λὼτ ἐσώθη ἐκ Σοδόμων, τῆς περιχώρȣ πάσης κριθείσης διὰ πυρὸς καὶ θείȣ. Πρόδηλον ποιήσας ὁ δεσπότης, ὅτι τȣ̀ς ἐλπίζοντας ἐπ' αὐτὸν ȣ̓κ ἐγκαταλείπει, τȣ̀ς δὲ ἑτεροκλινεῖς ὑπάρχοντας εἰς κόλασιν καὶ αἰκισμὸν τίθησι*, cum Judae v. 7. nil simile habent, nisi verba *Σόδομα* et *πυρὸς*. De Lot vero apud Judam ne verbum quidem. Neque intelligitur, cur Clemens totam rem ex V. T. haurire non potuerit.

Progrediamur igitur ad testimonia, quae apud patres *saeculo secundo* viventes de epistola nostra exstant. — Primum esse videtur *Polycarpi* initio hujus saeculi viventis; cujus verba in ep. ad Philipp. cap. III.: *οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίςιν*, e Judae v. 20.: *τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίςει ἐποικοδομȣ̃ντες ἑαυτȣ̀ς*, ducta esse contendit Schmidius (§. 112.). — Cum autem illa verborum similitudo, quae negari nequit, fortuita esse possit; neque, etiamsi Polycarpus ad Judae locum respexerit, tamen ejus sententia de origine

epistolae constet: nihil certi hoc modo evinci, recte viderunt Dahlius (p. 8.) et Eichhornius (p. 652.). — Pariter Justinus Martyr, Theophilus Antiochenus et Irenaeus de Judae ep. prorsus mentionem non injecerunt; quod, cum perbrevis sit, facile fieri potuit.

Sed longe gravissimi momenti est testimonium a Clemente Alexandrino pro litteris nostris exhibitum. Attulit enim in Paedag. l. III. p. 239. (ed. Sylburg.) epistolae v. 5. 6. et 11 hoc fere modo: *Εἰδέναι γὰρ ὑμᾶς, φησιν ὁ Ἰεδας, βέλομαι, ὅτι ὁ Θεὸς ἅπαξ κ. τ. λ.* — Idem in Stromm. (l. III, p. 431.) allegavit. Judae v 8–16, praeclaris verbis usus: *ἐπὶ τέτων οἶμαι καὶ τῶν ὁμοίων αἱρεσέων προφητικῶς Ἰεδαν ἐν τῇ ἐπιςολῇ εἰρηκέναι.* — Deinde Eusebius H. E. VI. c. 14. init. de Clemente haec habet: *Ἐν δὲ ταῖς ὑποτυπώσεσι πάσης τῆς ἐνδιαθήκε γραφῆς ἐπιτετμημένας πεποιήται διηγήσεις μὴ δὲ τὰς ἀντιλεγομένας παρελθών· τὴν Ἰεδα λέγω καὶ τὰς λοιπὰς καθολικὰς ἐπιςολάς.* — Praeterea Adumbratio Latino sermone conscripta sub Clementis nomine adhuc superstes est, in qua legitur locus jam supra laudatus (p. 9), ubi Judae modestiam in epistolae titulo conspicuam praedicatur. At fateor parum interesse in hac nostra re, utrum Adumbratio ab Alexandrino Clemente revera profecta, an alîus cujusdam Clementis scriptum sit; quae quidem sententia Scaligero magis probata est. Etenim vel hoc loco praetermisso satis constat, quomodo Clemens de genuina epistolae origine senserit; quippe cui non modo dubitatio de ea in mentem venerit nulla, sed qui ne homines quidem de ea dubitantes cognitos habuisse videatur ullos. Vis autem et auctoritas testimonii Cle-

mentini eo, quod idem de litteris Petro adscriptis prorsus silet, quam maxime augetur.

Quid? quod aliud adhuc hujus saeculi testimonium pro ep. nostra extat apud *Tertullianum*, patrum Latinorum principem, qui in libello de habitu feminarum c. 3. ad Judae v. 14. 15. respiciens: „Eo accedit, inquit, quod Enoch apud Judam apostolum testimonium possidet." Habuit ergo Judae epistolam pro apostolica, imo in ejus auctoritate nitens libro Enochi divinam originem asserere studuit. Quod vero Dahlius (p. 9.) contra attulit, ut ejusmodi testi vim et gravitatem excuteret: „Tertullianum forte singulari amore libri Enochi inductum, bono et simplici animo genuinam epistolae Judae originem accepisse", est mera conjectura, non solum Tertulliani verbis contradicens, qui Enochi auctoritatem epistola Judae, neque Judae auctoritatem libro Enochi fulsit; sed eadem etiam refutata Clementis de litteris nostris sententia: qui quidem non minus, quam Tertullianus, homines earum γνησιότητα in dubium vocantes plane ignorat Contra hoc quoque Tertulliani judicium summi est momenti, non minus quia epistolae Petrinae mentionem non injecit, quam quod omnino mirum videri debet, parvulas illas litteras tum in ecclesia occidentali jam pervulgatas fuisse. Ex saeculo igitur secundo plura et graviora, quam invenimus, testimonia huc spectantia jure exspectare non licet.

Adeamus jam scriptores *saeculi tertii*, in quibus praeclare de ep. nostra disseruit *Origenes* in permultis locis. Primum in Comment. in

Matth. XIII, 55. (T. III. p. 403. ed. de la Rue) habet: Ἰούδας ἔγραψεν ἐπιστολὴν ὀλιγόστιχον μὲν, πεπληρωμένην δὲ τῶν τῆς οὐρανίου χάριτος ἐῤῥωμένων λόγων. — Deinde in Comment. in ep. ad Rom. (T. IV. p. 549.) Judae v. 6. allegavit hunc in modum: „Judas apostolus in ep. catholica dicit." — Porro in Homil. VII. in Jos. (Tom. II. p. 412.) verbis: „Petrus etiam duabus epistolarum suarum personat tubis. Jacobus quoque et Judas;" Judam inter N. T. scriptores diserte retulit. — Deinceps operis ejus inscripti περὶ ἀρχῶν lib. III. c. 2. (T. I. p. 138.) secundum Rufini interpretationem legitur: „Et primo quidem in Genesi serpens Evam seduxisse describitur: de quo in Ascensione Moysis, cujus libelli meminit in epistola sua apostolus Judas, Michaël archangelus cum diabolo disputans de corpore Moysis, ait inspiratum serpentem causam extitisse praevaricationis Adae et Evae." — Quodsi igitur Origenes in Comment. ad Matth. XXII, 23. (T. III. p. 814.), postquam Judae v. 6. excitaverat, adjecit: εἰ δὲ καὶ τὴν Ἰούδα πρόσοιτό τις ἐπιστολὴν, ὁράτω τί ἕπεται τῷ λόγῳ (i. e. quodsi quis autem ep. Judae genuinam recipiat.): ex his profecto consequitur nonnisi id: fuisse jam Origenis temporibus, qui de epistolae αὐθεντίᾳ dubitarent. Cum autem Clemens Alex. et Tertullianus ejusmodi dubia prorsus ignorarent, iisdemque epistola, quam Petri secundam vocant, nondum cognita fuisse videatur: possit sane aliquis suspicari, de γνησίᾳ epistolae Judae origine tum demum dubitari coeptum esse, postquam ep. Petrina II. vocata magis in ecclesiarum venerat notitiam et usum. — Si denique Eusebius (H. E. VI, 25.) in recensione librorum sacrorum, ex Origenis scriptis congesta,

epistolam Judae silentio praeteriit: hujus profecto omissionis non Origenes, sed Eusebius accusandus est, ut recte monuerunt Dahlius (p. 13.) et Eichhornius (p. 653).

Aliud ex hoc aevo plerumque affertur testimonium anonymi auctoris *Tractatus ad Novatianum haereticum*, libri, falso quidem Cypriano adscripti, recte tamen, ut videtur, e saeculo tertio derivandi, in quo (Opp. Cypriani ed. Baluzio p. 17.) scripta extant verba: „Sicut scriptum est: Ecce venit cum multis millibus nuntiorum suorum, facere judicium de omnibus, et perdere omnes impios, et arguere omnem carnem de omnibus factis impiorum, quae fecerunt impie, et de omnibus verbis impiis, quae de Deo locuti sunt peccatores." — Sed jure admonuit Dahlius (l. l. pag. 15.): anonymum sua non ex ep. Judae (v. 14. 15.), sed ex ipso libro Enochi apocrypho traxisse videri. Addi licet, cum anonymi, nobis incogniti, testimonium parum valere, tum ex ea ep. nostrae laudatione, si qua sit, non sequi, quid anonymus de ep. origine senserit.

Nolo etiam premere locum *Pamphili* presbyteri, qui in Apologia pro Origene (Opp. Orig. T. IV. p. 23.) haec: „Quod etiam de diabolo sentiendum est, qui in conspectu domini omnipotentis describitur restitisse et deseruisse statum suum, in quo fuerat immaculatus, qui utique potuisset in hoc statu, in quo ab initio fuit, usque in finem perseverare, si voluisset." — Ante omnia quaeritur, num Pamphilus omnino respexerit ad Judae v. 6.; in quo quidem non de *dia-*

bolo, sed de *angelis*, idque prorsus aliis verbis agitur; quapropter ille de alia historia, sive scripto sive ore tradita, cogitasse videtur. Fac autem, Judae epistolam eum inspexisse, inde tamen non efficitur, eundem hanc a Júda profectam credidisse.

E saeculo igitur tertio nonnisi Origenes stat testis *αὐθεντίας* ep. nostrae, sed idem gravissimus; neque ex eo tempore superstes est scriptor, qui aut abjudicasset Judae epistolam, aut tantum hujus originem ab eo derivandam dubitavisset.

Inter scriptores *saeculi quarti* huc pertinentes in primis nominandus est *Eusebius*, qui H. E. l. II. c. 23. ita: „*οὐ πολλοὶ γȣν τῶν παλαιῶν αὐτῆς* (sc. *τῆς τȣ Ἰακώβȣ ἐπιςολῆς*) *ἐμνημόνευσαν, ὡς ȣδὲ τῆς λεγομένης Ἰȣδα, μιᾶς καὶ αὐτῆς ȣσης τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν. ὅμως δὲ ἴσμεν καὶ ταύτας μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείςαις δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις.*" — Non multi igitur scriptorum ante Eusebii aevum epistolae mentionem injecerant; attamen Eusebio vivente in plurimis ecclesiis publice praelegebatur.

Idem l. l. III, c. 25. verbis: „*τῶν δὲ ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' ȣ̓ν ὅμως τοῖς πολλοῖς, ἡ λεγομένη Ἰακώβȣ φέρεται, ἡ Ἰȣδα κ. τ. λ.*" ep. Judae retulit in scripta, quae a nonnullis in dubium vocarentur, multis tamen seu plurimis bene cognita essent. Suam vero ipsius de nostra ep. sententiam disertis verbis haud expressit, quod

neque in locis supra laudatis (VI, c. 13. et 14.) fecit.

Reliquos vero saeculi quarti patres, ne rem supra justos fines producerem, silentio praetermittendos censui, quia cum scriptores Eusebium excipientes fere omnes litteras Judae genuinas putaverunt, tum iidem in libris eruditorum permultis accuratissime jam enumerati extant. De qua re conferas velim Chr. Fr. Schmidii l. l. §. 148-176.; Dahlii locum p. 17-21., et Eichhornii l. l. p. 654.

Cum igitur vera et genuina ep. Judae origo asseratur testimoniis Petri sive Pseudo-Petri, e saeculo secundo autem Clementis Alexandrini et Tertulliani; e saeculo tertio Origenis; ex quarto omnium fere patrum ecclesiae; cumque a nullo scriptore antiquo, cujus libros inspicere nos quidem possumus, expressis spuria censeretur; contra ab antiquissimis patribus litteris Petro adscriptis praeferretur, cum denique, quod ab auctoribus saeculi secundi et tertii haud saepius, laudata est, ex brevi ejus et singulari argumento satis explicetur: equidem, haec omnia simul cum argumentis internis, *αὐθεντίαν* epistolae gravissime asserentibus, aequo animo reputans, *epistolam, quae, Judae nomine inscripta, in canone N. T. legitur, ab ipso Juda, viro apostolico eodemque Christi consobrino, Jacobi apostoli fratre vere profectam et scriptam esse,* statuere haud amplius haesito.

Quodsi quis autem haec legens me hic illic errantem invenerit, eum valde rogo atque

obsecro, velit humanitatis rationem habere; si quid vero melioris frugis forte invenerit, id non mihi tribuere, sed nonnulla viris, quorum libros in auxilium vocavi, doctissimis, permulta doctoribus, quibus usus sum, carissimis, omnia Deo.